



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)



Ms. 2763

J. I

34.

Collegij S. Mariæ à Iesu Paderbornæ.

LIBER

DE PRVDENTIA

IYSTORVM,

EV ERBIS SACRÆ SCRIPTVRÆ
Magna ex Parte contextus.


PER R. P. F. IOANNEM à IESV
Maria, Carmelitam Discalceatum Hi-
spanum Calaguritanum.

Ignitum eloquium tuum vehementer: Et
seruus tuus dilexit illud.

SVPERIORVM PERMISSV.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Ioannem Crithium,
ANNO M. DC. XIV.



3

F. Ferdinandus à S. Maria Præpositus
Generalis Congregationis S. Elie Car-
melitarum Discalceatorum. Opus hoc à
R. P. F. Ioanne à Iesu Maria, prædictæ
Congregationis Sacerdote professo com-
positum, & à peritis Theologis perle-
ctum, & commendatum probo, vt de con-
sensu Superiorum, Typis mandetur.
Datum Neapoli, Cal. Iunij. 1607.
Locus † Sigilli.

F. Ferdin. à S. Maria
Præpositus Gener.

Cum totum hoc opus ex Diuini elo-
quij verbis, atq; sententijs appositè sit
concinnatum vt errantia hominum
corda conuertat, & ad Iustorum Pru-
dentiam dirigat, ne filij huius sæculi
prudentiores filijs lucis sint, non pa-
rum expedire censeo vt quantociùs
excudatur.

D. Gabriel Lotterius Cler. Reg. Dep.
Vidit.

P. A. Ghibertus Locumtenens°

A 2



PACIFICO
REGI CORDIVM
IESV CHRISTO

Indignissimus eius seruus S.



SCRIPTORES alij dedicant opera sua Principibus terrenis: Ego verò dedico, ac dico opera mea Regi Pacifico, per quem Reges regnant, & qui magnificatus est, super omnes Reges vniuersæ terræ. Offero quippe tibi Rex, qui corda suauissimè regis, votum cordis mei, tanquam voti auctori, cui soli placere vellem. Tibi enim dixit cor meum: Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine
 requi-

3
quiram. Debeo certè tibi vo-
tum hoc, quod continet mol-
litos super oleum sermones
tuos, quibus corda casta e-
molliuntur. Trahuntur enim
vnguento exinanito dulcissi-
mi nominis tui. Offero tibi,
Rex magne, non verba vacua
humanæ sapientiæ artificio
sonantia, quorum memoria
perit cum sonitu: Sed verba
plena sensus tui, quem in scri-
ptura sancta expressisti, vel piis
cordibus inspirasti: vt fiant ho-
locausta medullata, quæ pla-
ceant, obsecro, cordi tuo.
Dum hæc scriberem, optavi,
vt vi sermonis viui tui, lecto-
res inflammarentur; & aquæ
arderent igni, vt notum fieret
nomen tuum. Fiat, oro te, mi-
tissime Rex, quod expetiui;

A 3. & (si

6
& (si qua merces labori meo
reddenda est) sitiat, precor, in
te anima mea, quàm multipli-
citer tibi caro mea, ò Rex pa-
cifice, tantummodo in ista vo-
ce exaudi me, O sapientia, quæ
ex ore Altissimi prodijsti, pri-
mogenita ante omnem crea-
turam, attingens à fine vsque
ad finem fortiter, suauiterque
disponens omnia, veni
ad docendum nos
viam pruden-
tiæ.



PRAE-



P R A E F A T I O.



VAVIOR profectio est
 Christiane lector elo-
 quentia Iesu Christi
 quam Tullij. Eloquia
 Domini, eloquia casta
 (que sunt velut argentum igne exami-
 natum, purum a terra, purgatum septu-
 plum) amabiliora sunt, quam profana
 verba quantum vis picta, ut cum ostenta-
 tione vendantur. Sermo Dei vivus, &
 efficax, & penetrabilior omni gladio in-
 cipiti, ac pertingens vsque ad intima
 compagum, & medullarum, pretiosior
 est, quam oratio amatorum mundi, com-
 posita ad animos sine fructu, vel cum
 fraude delectandos. Bona conscientie ar-
 gumentum est, non solum sensu Christi,
 sed etiam simplicitate verborum Christi
 delectari. Misit ille eloquiū suum terra, ut
 velociter curreret sermo eius: & lex illius
 immaculata conuertens animas, non ex

A 4 sermo-

sermone, sed ex virtute aestimaretur. Ego igitur, vnus è plebe eius, non solus, sed cooperante Dei gratia mecum, librum hunc (De prudentia Iustorum) magna ex parte ex ipsis dulcissimis sacrae scripturae verbis, ad finem quem Spiritus sanctus intendit, hoc est, ad instruenda corda, cõposui. Speraui enim, Iesu Christi verba etiam per ministrum indignissimum prolata, & scripta, peccatoribus, quorum salutem quero, & iustis, quorum consummationem opto, profutura. Inscribitur autem liber (De prudentia Iustorum) quia cum prudentia sit, media ad finem appositae praescribere, hoc agitur, in toto libro hoc, vt ad aeternae salutis finem media opportuna proponantur. Inducitur autem Iesus Christus loquens, quia vel ipsa eius verba sunt, vel certè ipsius inspirationis pijs cordibus immissa. Lector autem, qui hac lectione proficere ad aeternitatem cupit, tria obseruet: Primum, vt tempus locumquè à strepitu remotum ad legendum eligat: secundum, vt lentè legat: tertium

PRAEFATIO

9

*tertium, vt, dum se commoueri senserit,
lectionem intermittat, donec ille commo-
tionis calor deferueat. Studeant alij va-
rijs mundi artibus, & disciplinis: ego pru-
dentia Iustorum studebo: Mihi enim ad-
herere Deo bonum est, & ponere
in Domino fidelissimo spem
meam.*

A

5

PRI.



PRIMA PARS.

VBI PRAEMISSA VO-
CATIONE, PROPOSITO-
què salutis æternæ fine, gra-
uiora impedimenta Chri-
stianæ perfectionis
remouentur.

Cap. I. *Omnes Adæ filios Iesus
Christus ad salutem tener-
rimè vocat.*

VENITE ad me omnes
Adæ filij, qui laboratis,
& graui peccatorum, ac
pænarum pondere one-
rati estis: & ego, qui sum
diues in misericordia, visceribus ma-
ternis reficiam vos. Cur obturatis au-
res cordis, sicut aspides surdæ, quæ vo-
cem incantantis audire timent, ne for-
tè cor mutant, ac mansuescant? Nun-
quid venenum insanabile, per vocem
incantantis sapienter, euomere, ac mi-
tescere timetis? Venite filij dulcissimi,
& audite

& audite me: & timorem Domini docebo vos. Tollite iugum meum super vos, quod ego vna vobiscum sustinebo, & genua debilia roborabo. Doteo vicem vestram, o pars magna hereditatis meę: consilio quippe parum sano, quinque iuga bouum pretio magno emistis, & fertis pondera importabilia, quę dorsum semper incuruant, & vnum, ac leue iugum meum, quod æternę vitę luera parit, proteruē fugitis, & horretis. Certē, ab vtero Heuę matris vestrę, infoeliciter errastis: & sub onere gementes mortem sempiternam multo sumptu mercamini. Reuertimini ergo ad cor, filij prodigi substantiæ meę, & ego suscipiam, & strictissimē amplectar vos, tanquam fidissimos amicos meos, & super vnoquoquē vestrum lætabor copiosius, quàm supra nonaginta nouem iustos, qui non indigent poenitentia. Quid cunctamini, optatissima præda mea? Festinate iam subire leue onus meum: & in schola sapientiæ melle dulcioris, discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia, & inuisibilia regere, non mira-

cula patrare, sed quia mitis sum, & humilis corde, cuius imitatione amara quæque dulcescunt.

Cap. II. Hortatur ne filij Adæ quærant solatia mundi.

NOui cervicem vestram duram, filij Adæ: semper enim dulcissimo spiritui meo resististis, non fidentes promissis meis, sed avidè quærentes solatia peregrina. Sed nunc saltem, inclinata iam die, conuertimini ad me, & sub iugo meo suavissimo inuenietis requiem fatigatis animabus vestris. Tempus est, vt in hora nouissima, quærat me, & mundi vanitati antepontis suauissimam amicitiam meam. Venite ergo, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Quid vultis vobis in via Aegypti, vt bibatis aquam turbidam? & quid vobis cum via Assyriorum, vt profanas aquas hauriatis? Calix in manu mea quàm præclarus est, è quo vsque ad satietatem bibunt fidèles amici mei.

mei. Mirum est, quomodo non placeat vobis Cisterna Bethlehem, & inhiatis ad cisternas dissipatas, in medio filicis excisas. Ne bibatis de calice Babylonis, vbi mors auro tecta latet. Ecce, è vulneribus meis sanguinem, aquamque propino: vt cordis humani sitim expleatis. Accedite ad me, celerrimis affectuum gressibus, & lateri meo, quasi fonti viuo labia imprimite: vt satiemi ab vberibus consolationis meæ, & torrente voluptatis inebriemini. Fallax mundi gratia capiat gentes, quæ non nouerunt me, & ante Baal genua curuauerunt: Vos autem gens sancta, regale sacerdotium, & populus acquisitionis meæ, venenata mundi pocula, epulasque peccatorum respuentes, pura Iordanis aqua delectemini, fructuque ligni vitæ vescamini, in amænissimo paradiso, quem plantaui electis meis.

CAP. III.

*Monet sollicitudinem in æterna
salutis opere.*

Breues dies hominis sunt, & numerus

Λ 7

TUS

rus mensium eius apud me est. Cōstitui quippe terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et cūm vos Adæ filij, in vitæ brevis angustia deberetis exultare ad currendam viam meam; in hac sola pigritamini, & mortalibus bonis nimium sollicitè detinemini. Fruimini bonis, quæ prohibui, & abutimini creaturis, tanquàm in iuuentute celeriter. Nullum viret pratium, quod nō velociter pertranseat luxuria vestra. Coronatis vos rosis festinanter, antequam marcescant: & cordibus indomitæ licentiæ habenas relaxatis. Non placet mihi consilium hoc: dementiam hanc odiuit anima mea. Vos festinatis ad interitum gratis; quasi vos pretio magno non emissem: Ergo respiscite modo, & summo cum emolumento in requiem meam ingredi properate. Tantundem sollicitudinis postulo ad vitam iucundissimam, quantum in æterna morte posuistis. Ego cucurri in siti, vt vos fugientes apprehēderem, & è feritate mansuefactos, ad dulcissima pascua æternæ vitæ deducerem. Cur modò marcescitis ignauia,
& non

& non ascenditis ad terram viuentium possidendam? Cur torpescitis, electi mei, & non potius animamini, vt assurgatis ad hæreditatem opulentam primogeniti populi mei? Certè si sciretis, quàm sit magna multitudo diuinæ dulcedinis, quam abscondi & seruari quærentibus me: sicut desiderat ceruus, & currit ad fontes aquarum, ita & vos cursu velocissimo requiem meam peteretis. Experto tamen credite, & currite, si quo modo comprehendatis, more illorum, qui in agone contendunt, & anxie currunt ad brauium. Filij huius seculi sint veloces ad effundendum sanguinem; vos autem amici mei, propter verba labiorum meorum magna sollicitudine, custodite vias duras: & ad regionem viuorum, inter dolores, ac sudores fortissime suspirate.

CAP. IV.

Iustos celeriter ad palmam currere docet.

Homo, quasi flos, egreditur ex utero matris suæ, vbi ossibus, & nervis

uis compegi eum: & vix ad horam, in materia carnea consistens, fugit velut ymbra, & nunquam in eodem statu permanet. Idcirco iusti, quasi æternarum diuitiarum auari mercatores, licet consummentur in breui, explent tamen indefessa diligentia tempora multa. Et, si quid ex humana fragilitate peccant, citissimè se mundant lauacro sanguinis mei: ne subito præoccupati die mortis quærant spatium penitentia, & inuenire non valeant. Atquè ideo iustis meis omnia cooperantur in bonum, ijs, qui, secundum propositum dulcissimi cordis mei, vocati sunt sancti. Siue enim rectè agant, siue quandoque peccent, vehementer ad palmam incitantur, dum intimi doloris configitur spina. Charitas DEI vrget illos, vt magna semper operentur, vt fidelissimæ promissionis meæ confortes fiant, dum lati mandati mei viam, sine defectione, percurrunt. Vos ergo, charissimi amici mei, quos introducere decreui in terram melle, ac lacte fluentem, contendite intrare per angustam portam, antequam tenebrescat, &

cat, & clausa vrbis sanctæ ianua, respondeam serò pulsantibus: Nescio vos. Inquirete futuram, quandoquidem inter mortales non haberis ciuitatem permanentem, sit vobis cordi superna Ierusalem: & per itinera æternitatis, ad pinguem, & coagulatum montem meum, & lachrymarum valle, gemitibus inenarrabilibus, & sanissimæ Charitatis ardoribus properate.

CAP. V.

*Omibus quantumuis peccantibus
vitam offert.*

Quis est homo, qui vult vitam immortalẽ, & cupit, cœlo serenissimo, dies videre bonos? Veniat fidenter ad me, & custodiat planas, & rectas vias meas; Vita immortalis viuet, & factò intra eum viuo fonte dulcissimæ aquæ salientis in vitam æternam, mortem non gustabit in æternum. Ex magnitudine infinitæ bonitatis meæ omnes saluos fieri volo: neminemque proijcio, ne peccatorem quidem obduratum, dummodo ipse saluus fieri velit. Nemo declinet à me huma-
na pa-

na patiens, quasi tædio affectus sim hominibus tam sæpè parcendo. Misericors quippe corde sum, & ignoscendo delector. An coarctare vultis Adæ filij, misericordiam meam, vt, ad mensuram miserationis vestræ, sit tanquam nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens, qui ex oriente sole consumitur: Viuo ego, quia nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & vita infinitæ consolationis plena viuat. Gloriam meam misericordia grandem alteri non dabo, ac in æternum sine tædio miserebor. Vtinam filij hominum, qui peccando confescent, quoties ego parcerem, toties vellet reconciliari mihi, & ex animo requirerent me: hilarem semper, ac liberalem inuenirent: & animas nimis desolatas blandè loquens consolarem. Nemo enim, ab orbe condito, ex animo inuocauit me, super quo viscera mea non commouerentur; quamuis innumeris, & grauissimis sceleribus me ad iram prouocasset. Ab infantia enim creuit mecum miseratio, & de vtero mitissimæ matris meæ mecum egressa est.

CAP.

CAP. VI:

*Conqueritur de ingratitude ho-
minum.*

Iustas querimoniarum causas habeo
aduersum vos, filij hominum graues
corde, qui pretium magnum infinitæ
misericordiæ meæ repellere cogita-
stis. Præuaricati estis pactum dulcissi-
mi testamenti mei: & spreto cultu di-
uinæ Maiestatis meæ, idola mundi ve-
neramini. Quid est hoc? Quid inuen-
erunt in me iniquitatis patres vestri,
quia recesserunt à me? Leges Medo-
rum, atque Persarum studiosissimè ob-
seruatis, & Satrapis mundi placere
contenditis: solus ego contemnor, nec
inuenio, quibus placeat amplissimus
honor regni mei. Usquequo lugebit
terra, & herba omnis regionis ficcabi-
tur à malitia inhabitantium in ea? V-
niuersæ creaturæ ad nutum obediunt
imperio meo: solus homo cucurrit ad-
uersus me erecto collo, & pingui cer-
uice armatus est. Quid ultra debui fa-
cere humano generi, & non feci? Veni-
te nunc & properate filij Adæ, & &
vale-

valetis, arguite me. Quod si nemo potest arguere me de peccato, eloquia mea casta ne respuite, sed cordis vestri duritiam gratitudinis liquefactione resoluite. Auferam, si vultis, cor lapideum, daboque cor carneum: & faciam, vt in præceptis meis, more ceruorum, ambuletis. Educam vos de terra deserta, è loco horroris, & vastæ solitudinis. Constituamque super excelsum terram, vt sugatis mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Si, deposita duritie, mitescant corda vestra, repõto foedere, Deus vester ero, daboque in visceribus vestris, legem meam & in cordibus emollitis digito suavissimi spiritus mei, scribam eam.

CAP. VII.

Hortatur ad Verbum Dei aure cordis percipiendum.

MOLLITI sunt sermones mei super oleum, & ipsi sunt iacula, vt simul vulnerent atque delectent. Quò circa mirum est, quomodo filij hominum quærant sibi magistros prurientes auribus, & à veritate mea

te mea eloquijs dulcissimis instillata
auditum auertant, atque ad vanissimas
fabulas conuertantur. Ego quidem fo-
ris prædico, & in medijs vrbibus, at-
que plateis emitto argenteam vocem
meam: & fio vox clamantis in deser-
to, vbi spinæ tribulique succrescunt.
Vacant homines inertes, & nouorum
librorum curiositate trahuntur: Sola
lex mea immaculata, conuertens ani-
mas, & sermo meus viuus, & efficax
despicitur, quasi, summa cum volupta-
te, non penetraret vsquè ad diuisio-
nem animæ, & spiritus, compagum
quoque ac medullarum. Quid dicam
vobis amentes vanitatis amatores, qui
fugitiuas vmbrae somniaquè sectami-
ni? Nunquid verba mea non ardent ve-
lut ignis, quo soluitur glacies cordi-
um, quæ culpæ frigore obriguerunt?
Cur aures cordis obturatis, nec pati-
enter audire vultis verba æternæ vitæ,
æstimabilia super aurum, & lapidem
pretiosum multum, & dulciora super
mel, & fauum? Delectet saltem vos, &
Iustorum congregatio, cælestis elo-
quentia mea, qua corda casta nutriun-
tur: &

tur: & sermo meus non pictus persuasibilibus humanæ facundię verbis, virtute diuina suspendat. Accipite gratis argentum igne examinatum, probatum terræ, & purgatum septies: & quasi modo geniti infantes ediscite elementa suauissimi sermonis mei.

CAP. VIII.

Docet initio cursus, oculos mentis in æternitatem esse dirigendos.

FILII accedentes ad seruitutem meam, oculos, ante omnia, in æterna bona dirigite, & ad virentia sine fine prata suspirate. Estote sicut Issachar, qui cum videret terram, quod esset bona, & requiem, quod optima, supposuit humeros suos ad portandum, factusque est, seruiens sub tributo. Sic ego, proposito mihi gaudio sustinui crucem, confusione contempta, & transij per ignem, & aquam in superuenturum refrigerium. Et quod ad novos milites meos attinet, mihi credite, nihil esse, quod animos sermonis iustitię expertes, lactisque participes æquē

æquè moueat, ac sperata æternæ consolationis magnitudo : qua victores exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis. Certè formosissima lux mea, & purissima delectatio dexteræ meæ, coronas varias, de multiplici labore, iusta remuneratione reddentis, animos pugnantium fortissimè munit, ad confringenda capita draconis, qui datur in escam populis Aethiopicum. Spem hanc incedentem vsque ad interiora velaminis, reponite in sinu vestro; ne deficiatis laborando, quasi mercede carituri. Tempus erit, cum Altissimus Pater meus dicet fidissimo procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsquè ad primos. Hac spe plus, quàm suauissima erumpunt aquæ in huius vitæ deserto, & torrentes in solitudine. Et anima, quæ arefcit, potu delectabili reficitur, quo labores vniuersi dulcorantur. Spes hæc statuit procellam maris in auram, vt sileant perturbati fluctus eius. Hæc est hæreditas fortium Israel, qui spernentes momentaneum hoc, & leue præsentis tribulatio-

bulatio-

bulationis, intentos habent oculos in æternum gloriæ pondus, quod speratur in cælis.

Cap. I X. Ponderat gloria magnitudinem.

PERFECTORVM est solidus cibus, eorum scilicet, qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali, & ex purissimo ac dulcissimo mei amoris affectu, sine introitu retributionis, me requirunt. At vos, qui purgatos cordis oculos nondum nacti estis & mercede mouemini, currite post me saltem more adolescentularum, quæ amoris imperfecti suauitate trahuntur. Certè in ciuitate primogenitorum, & in monte sancto, vbi, post diluuium aquarum, passionum uè multarum requieuit arca humanitatis meæ, nihil est, quod suauitatem, & amorem non spiret, & castissimis delitiis non circumfluat. Egreditur aquæ purissimæ fluius à me fonte viuo, ad irrigandam faciem terræ promissionis meæ: cuius vbertate, & amœnitate viscera dilatantur: Nō ibi flat Aquilo, sed

sed venit Auster, & auræ lentis sibilo,
perflat hortum meum: lateque fundun-
tur odores aromatum puram volupta-
tem ingerentium. Ibi lux beatissima
sole formosior lætissimos gaudentium
choros exhilarat. Ibi melos dulcissi-
mum cordium, quæ in sua peritia re-
quisierunt modos musicos, & ad nouū
canticum sine fine duraturum psalteri-
um decachordum aptauerunt. Ibi sua-
uissima pulchritudo corporum & ani-
marum super niuem candentium, &
super coccum bis tinctum rubentium,
& amores æternos in thalamo meo ce-
lebrantium. Ibi castra mea immorta-
les triumphos agentia, forma Virgi-
num, adolescentum decore, victorum
fortitudine disposita, quæ regnabunt
mecum in æternum, & ultra. Verū
hæc exigua sunt: neque gaudia mea in
exilio Babylonis satis intelligere po-
testis. Fide mea hîc opus est, cum sit
sperandarum substantia rerum, argu-
mentum non apparentium. Arcana
verba sunt, quæ non licet homini lo-
qui; cum Angelicam superent eloquē-
tiam. Oculus non vidit, neque auris

B

audi-

audiuit, quæ ex infinito pondere bonitatis meæ, præparavi diligentibus me. Propter hæc ergo gaudia mea, milites mei noui, pugnate.

CAP. X.

Suadet suæ passionis imitationem.

NOLITE timere pusillus grex: Ego protector vester sum, & merces vestra magna nimis. Mihi credite; Non est contemnendus decor dulcissimæ Sion, quam dilexi, plusquam tabernacula Iacob, vt non meritò pro ea pugnare debeatis, & hoc multò nunc animosius: quia vniuersus Israel toto corde sequitur Absalom, quasi è quercu suspensus non esset infeliciter moriturus, & mitem Dauid transgredientem torrentem Cedron, flentem, ac operto capite, nudisque pedibus incedentem nemo est, qui fideliter sequatur. Quàm crudeles sunt Adæ filij, regem suum mansuetissimum, in medijs laboribus, respuentes? Torcular crucis calcaui solus, & de gentibus, quasi fuso sanguine, redemi, non erat vir mecum. Considerabam ad dexteram:

& vi-

& videbam; & non erat, qui cognosce-
ret me. Et vos posteriores serui mei,
quid vultis mecum iudicio contende-
re quasi gens, quæ iustitiam fecerit, &
legem Dei sui non dereliquerit? Om-
nes me dereliquistis: Sed & æternus
Pater meus, propter vos, dereliquit, ac
percussit me. Nunc ergo, quando de-
solatione desolata est omnis terra,
quia nullus est, qui recogitet corde, co-
gitatione, & affectu me patientem co-
mitamini, vt resurgenti sociemini. Ne
horreatis societatem dolorum meo-
rum, si dulcissimæ vitæ consortium ex-
optatis. Mortificate membra vestra,
quæ sunt super terram: equum, qui est
fallax ad salutem, eneruate, vt com-
mortui, & consepulti mecum, ad di-
em, qui nescit occasum, mecum dilu-
culo exurgatis, & dabo vobis, pro vi-
gilia somnum, inter dilectos meos,
pro bello, pacem, quæ superat omnem
sensum, pro abstinentia, esum li-
gni vitæ, quod est in paradiso
Altissimi Patris mei.

CAP XI.

*Monet parcum vitæ præsentis
vsum.*

OMNIS, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere, quibus à cursu possit retardari. Vos autem, qui pro æterna vita pugnatis multò studiosius, quam filij huius seculi, ab omni impedimento viæ vestræ debetis abstinere. An non consideratis, quia nouissima hora est, neque misericordiæ semper locus erit? An pepigistis foedus cum morte, quæ tanquam fur intempesta nocte venit? Quare sequimini ventum, telasque aranearum texistis? Quousque patiar eos, qui argentum, thesaurizant & aurum, in quæ confidunt homines? Omnia sub sole transeunt; & mortalis vitæ conditio, non mansio vestra, sed peregrinatio est. Reliquum ergo est, vt qui emunt tanquam non possidentes, qui gaudent tanquam non gaudentes sint, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura inconstantissima huius mundi, qui longissimè abest à perman-
tura

sara ciuitate mea. Propter quòd, ele-
 cti mei, qui ius æternæ hæreditatis nec
 amittere, nec diminuere volunt, ha-
 bentes alimenta, & quibus tegantur,
 tantò celerius currunt, quantò minùs
 ponderis mundani portant. Quid igitur
 vos solliciti estis in annos pluri-
 mos, quasi certò superuictari, cum i-
 gnoretis, quid superuictura pariat dies?
 Grauer errauit homo ille, cui dictum
 est: Stulte, hac nocte repetunt animam
 tuam à te, & quæ congregasti cuius e-
 runt? Spernite, amici mei, quæ breui, ac
 necessario pereunt, & diuitiæ si afflu-
 ant, nolite cor apponere.

CAP. XII.

*Negotiorum multitudinem des-
 suadet.*

PORRO vnum est necessarium, v-
 num, inquam, illud, quòd est bo-
 num. Feci e, o hominem rectum, vt ho-
 num hoc infinitæ consolationis ple-
 num, per vias rectas quæreret, ac re-
 quireret, ille tamen, cum in honore
 esset, non intellexit, sed mille laqueis,
 & quæstionibus se implicuit, ac pere-

gre à me profectus est. Non placuit illi suauissima conuersatio mea, & studium illorum, qui ædificant sibi solitudines. Aquas fluuiorum Damasci multo cum strepitu currentes sitiuit; & fastidiuit aquas Helebon, quæ dulcissimo silentio requiescunt. Quænam dementia est hæc, cor cuius vnione viuatur, tam multiplici, ac mortifera sectione diuidere? Adeone secularia negotia animas cælo natas diuertent, atque peruertent, vt æternæ salutis negotio, & tempus, & cura desit? Quærite primùm, ô filij Adæ, regnum Dei, & iustitiam eius, & in me cogitatum vestrum, pondusque iactate. Hæc fit sors, & portio vestra vita mortali pretiosior, vt numeremini inter charissimos amicos meos. Quòd si tempus alijs negotijs desit, iacturam temporalium bonorum, cum æternæ vitæ lucro patienter sustinete. Nam, si è cōtrario, in varias sollicitudines distracti breui mundi gloria prosperemini, quid soli ac sinceri boni succedet? Dicite vos ipsi, quid profit homini, si vniuersum mundū lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Negotiatores terræ

morientiū, exquisitores terrenæ prudentiæ, institores Themanitę atque Sabæi, quò tenditis in varia figmenta dissipati? Quis mihi det, vt suauissima spōsa mea Sulamitis, Ecclesia inquam mea sit iuxta dies pristinos, quando multitudinis credentium erat cor vnū, & anima vna? Eugite de medio Babylonis, & animam sitientem mihi vnitam recreabo. Ducam eam in solitudinem, & dulcissimè loquar ad cor eius.

CAP. XIIII.

Monet curiositatem sciendi fugiendā.

NE pascatis ventū, Adæ filij, & doctrinas hominum ne anxie queratis. Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & legisperitus, in prudentia sua; sed in hoc gloriatur omnis qui gloriatur, scire & nosse me. Respicite, quid profuerit Aegyptijs, & Atheniensibus sollicitudo sciendi. Nonne sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens, & existimantes se aliquid scire, stulti facti sunt? Nonne Athenarum præceptores ignoto Deo aram posuerunt? & stultitiam suā, nesciētes quid agerēt, publicarūt?

Infernus dilatauit animam suam, & omnes sapientes terræ absorpti sunt: quia cum inutilia, & vana scire satagerent, ignorauerunt me, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Etenim, si ego solus cognoscar, sciendi fitis expletur, & splendore candidissimo anima illustratur, licet nihil aliud nouerit, præter me. Si verò omnia quis nouerit, excepto me, rudis & ignarus erit, & indigebit, ut tanquam infans doceatur, quæ sint elementa exordij sermonum Dei. certè Paulus, fidissimus seruus meus, cum ob scientiæ magnitudinem in pretio magno haberetur, nihil putauit se scire inter fratres suos, nisi me solum crucifixum. Quamuis enim multa didicisset abundantius æmulator existens paternarum suarum traditionum: ex quo tamen ego apparui ei, & sapientiam meam reuelauit, omnia contempsit, & in sola plenitudine scientiæ meæ requieuit. Discite ergo me, filij hominum, & ad scholam suauissimæ eruditionis meæ, spreto mundi gymnasio, transmigrate.

CAP.

CAP. XIV.

Docet amicitiam hominum declinandam.

DOLEO super vos, humanæ benevolentia mercatores, quibus amicitia hominum nimis placet. Fidelis amicus omni thesauro pretiosior est, raroque inuenitur in terra aliena. Mendaces quippe sunt filij hominum in stateris, nec fidem seruare didicerunt. Quid quæritis in terra, quæ versa est in falsuginem à malitia inhabitantium in ea: Prater non redimit fratrem, redimit fortassè homo, qui non est frater; & qui nescit amare animam suam? Filij Ierusalem, ne fidatis Idumæis, qui amicitia violata, Chaldæis confæderati dicunt: Exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea. Si placet vera amicitia, quærite me, nec iam dicam vos seruos, sed charissimos amicos meos, & amicitia iure, omnium bonorum meorum communicatione gaudebitis. Non timebitis domui vestræ à frigoribus niuis, omnes enim vestiemiini duplicibus, nec erit qui se abscondat à calore

B. 5. meo,

meo, Diligam vos (vt Ionathas Dauid) sicut animam meam : & laborum vestrorum fidelissimus confors ero. Qui tetigerit vos tanget pupillam oculi mei: & ex amoris magnitudine, vt nutritius vester alam vos dulcissimo lacte meo. Quid moramini, ô duri corde, amicitiaë humanæ renunciare, ac mediis visceribus imprimere beneuolentiam meam? Recedite à tabernaculis impiorum, qui fraudulenter amant, ne inuoluamini in peccatis eorum : & amicitiam meam studiosissimè requirite. Certè, ne vobis molestum videatur, & amicos multos ad interitum, pertrahentes relinquere, vnus ergo melior illis omnibus, ac fidiore non solum amicus, sed & frater, & pater amantissimus ero.

CAP. XV.

Docet oblectamenta varia respuenda.

VANI sunt sensus hominum, quibus non subest senectus mentis, & maturitas sapientiæ meæ, Non fatiatur oculus visu, nec auris impletur auditu: & videntur sibi filij Adæ sapienter agere, si nimis humana oblectamenta

menta, & exercitia quærant, deposito exercitio timoris, & amoris mei. Causantur otij fugam etiam ij, qui videntur supra modum spirituales, & magnam diei partem Mathematicis disciplinis, Architecturæ, aut picturæ, aut eiusmodi artibus impendunt. Quid est hoc? Filij hominum vsquequò graui corde? ut quid diligitis vanitatem, & pro veritate mea, quæritis mendacium? Si Architectura placet, an superna Ierusalem non ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum? Circumspicite structuram ciuitatis meæ, fundamenta posita in montibus sanctis, murû in quadro lapidibus ex viuis cõsurgētē, portas ex sapphiro, & smaragdo artificiosè cælatas, præaltas turres, quæ eminet in lateribus Aquilonis, & vniuersas edificiij partes, quæ ciuitatem Regis magni decent. Si pictura placet, intuitum figite in splendoribus sanctorum & imagines viuas, vbi lucet dulcissima pulchritudo mea, contemplantini. Candorem illû niue puriorem, & ruborem porphyrite perfectiorē, quo splēdet immortale corpus

36 De Prudentia iustorum,

meum, cogitate. An non consideratis, per exercitia hæc vestra, vos, ad salutem æternam parùm proficere? Et si enim otium vitetis, meliorum tamen bonorum damna patimini: quæ vitare deberetis. Vigilate ad postes ostij mei, & exercitia ad æternitatem profutura feligite. Visitate domos orphanorum; subuenite egeno, & pupillo; esurientem animam recreate. Ludite mihi in organis carminum Domini, in cætu suauè sonantis Ecclesiæ meæ, & scripturæ sacræ campos perlustrate. Hæc & eiusmodi alia sunt oblectamenta quærentium Deum, quærentium faciem serenissimam Dei Iacob.

CAP. XVI.

Docet gula vitium fugiendum.

EX quo, per cibum veritum, peccauit Adam pater vester, prohibita conuiuia sectamini, filij hominum: & nisi saturati fueritis, murmuratis. Corda vestra grauantur crapula, & ebrietate, & solas Aegypti ollas cogitatis. Quænam ruditus est hæc? An escæ profuerunt ambulanti in eis? Certè nimis

mis cæca, & spiritui meo inimica passio est hæc quæ filios meos à cultu, & amicitia mea diuertit. Incrassatus est enim dilectus populus meus, & recalcitrauit, & incrassatus, impinguatus, dilaratus. Dereliquit saturatus me Deum factorem suum: & ferina ingratitude, recessit à Deo salutari suo. Væ illis qui inter profanas Chaldæorum mensas, computrescunt, & belluarum pabulo cupid. seruiunt. Esca ventri, & venter escis: Deus autem, & hunc, & illas seuerè perdet. Recordamini populi mei per desertum transeuntis, & considerate, quid acciderit ei. Petierunt & venit coturnix, & pane cæli sattraui eos. Et plui super eos, sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata. Sed quid profuit eis voracitas illa? Certè adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira mea ascendit super eos & occidit pingues eorum, electosque Israel ab ingressu terræ promissionis impediuit. Melius est, cum Lazaro, quondam paupere, famem pati, & in sinum Abrahamæ exultantibus angelis deferri, quàm cum di-

uite Epulone, qui sepultus est in inferno; post splendida conuiuia perire. Ne abutamini creaturis meis: sed, cum timore meo temperantiam colite & eritis è numero illorum, qui cum Abraham, Isaac, & Iacob cæterisque charissimis amicis meis, recumbent ad mensam nuptiarum Agni, & in amplissimo regno meo.

CAP. XVII.

Monet honoris ambitionem fugiendam.

VAE vobis, Adæ filij, qui quæritis esse sicut dij: amatis gloriam hominum primosque accubitus in cenis, & primas cathedras in foro requiritis. Quid vobis proderit iactantia, & honorifica stultorum existimatio? Quàm longè receditis à mitissima disciplina mea, quam docui, ex quò memetipsum exinaniui. Sanius consilium est in nouissimo loco sedere, & humilia de vobis cogitare. Dicite mihi, honoris mercatores, vbi sunt reges terrarum, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ? Nonne sedes superborum destruxit

struxit Dominus, & federe fecit mites
pro eis? Cecidit Babylon, & claritas
nominis eius obscurata est. Considera-
te imperium aureum, argenteum, ære-
um, & ferreum; Chaldaeos, Persas, Gre-
cos, & Romanos: nonne lapis vnus,
specie vilis, abscissus de monte, sine
manibus, comminuit eos? Fixum est de-
cretum hoc: Quicumque honorificaue-
rit me, glorificabo eum: qui autem cō-
tēnunt me erunt ignobiles: Contēnite,
filij mei, quod apparet, & nō est; & fa-
stū sæculi alta humilitate calcate. Dis-
cite à me, qui sū corde humilis, & glo-
riā hominū, teste Patre meo, nō desi-
deravi. Hæc est prima pars eruditionis
meæ, quā instillavi fidelissimis discipu-
lis, & imitatoribus meis; qui lætātes i-
bāt à cōspectu cōciliij, quoniā digni ha-
biti sunt, pro dulcissimo nomine meo,
cōtumeliā pati. Hæc est gloria abscon-
dita, sub crucis humilitate, omnibus
honoribus, & imperijs præferenda, &
super speciē, & diuitias æstimāda. No-
lite ergo in retāta obdurare corda ve-
stra: sed alto mundi contemptu, ad im-
mortalem gloriam per contumeliam
crucis festinate.

CAP.

Hortatur ad odium Auaritiæ.

VAE vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram, in hoc mundo. Cur tam anxie adoratis aurum, quod quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis? Nihil nisi terram diligitis, & opes meas cælestes obliuioni tradere festinatis. Citò cum dolore amittetis, quæ nunc cum illicita delectatione possidetis. Scriptum est enim dictante spiritu meo: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Fugite ergo auaritiam, quæ est idolorum seruitus: & præter me, nullas opes aestimate. Tantundem enim amoris meo detrahitis, quantum in bonis caducis collocatis. Minus enim me amat qui mecum aliquid amat, quod propter me non amat. Nonne considerabitis, vos cito morituros, ut sitim cupiditatis extinguatis? Quorsum horrea noua ædificare, & domos æternas in terra peregrinorum fabricare queritis, ut ibi argentum recondatis? The-
sauri-

faurizate potius vobis thesauros in
cælo, vbi semper victuri estis, & mise-
ricordis pauperum mihi Deo vestro
fæneramini. Certè, semitæ omnis aua-
ri animas perfidentium rapiunt, vt in
terra deserta, inuia, & in aquosa, longè
à salute mea, longo exilio demoren-
tur. Deponite iam pondus terræ, qua
grauamini: relinquire omnia, vt me,
qui non habui inter vos, vbi caput re-
clinarem, sine onere sequi valeatis.
Quomodo enim me expeditum, &
currentem sequi poteritis onerati? Be-
nè dixit Petrus fidissimus seruus meus:
Ecce nos reliquimus omnia, & secuti
sumus te; neque enim exultasset me-
cum ad currendam viam, nisi pondus
tantum abiecisset. Hoc ergo facite, &
viuetis.

CAP. XIX.

*Hortatur ad odiuam parentum,
& consanguineorum.*

SPIRITVS est, qui viuificat: caro
autem non prodest quicquam. Im-
mo, non solum non prodest caro,
sed vehementer nocet. Ideò fideles a-
mici

miei mei, qui non ex sanguinibus, ne-
 que ex voluntate carnis, neque ex vo-
 luntate viri, sed ex Deo nati sunt, ne
 fortè in vanum currerèt, aut cucurrif-
 sent, iuxta consilium meum, omnè car-
 nalè propinquitatem oderunt, & qua-
 si spiritus mei venenum euitarunt. Ex
 hoc numero fuit ille, qui lætabatur ca-
 nens: Pater meus, & mater mea dereli-
 querunt me; Dominus autem assumpsit
 me; Non est inutilis commutatio, pro
 parentibus, qui ad seruitutem, & mor-
 rem generāt, à dulcissimo Patre meo,
 inter filios Sion inclytos, & amictos
 auro primo, amantissimè adoptari, &
 ad hæreditatè æternam ius habere. Sed
 mandus hanc adoptionem non cogno-
 uit, & mortiferis consilijs, quos Pater
 meus in suam adoptionem vocat, na-
 turalis legis colore, & alijs æquitatis
 apparentis vmbri seducit. Quid est
 hoc? Ego qui à purissima genitrice mea
 nihil damni spiritualis pati poteram,
 vbi salutis vestrę causam agebam, qua-
 si alienam non cognoui: & serui mei, à
 contagio carnis impuræ non timebūt.
 Sinite mortuos sepelire mortuos suos:
 & in

& in æternæ salutis ingressu, vel progressu carnalium parentum blandimēta, consiliaque vitate. Et ego suscipiam vos, quasi fidelissimos amicos, & suauissimos fratres meos. Pater meus, pater vester erit, & erit mater vestra, mitissima Virgo, quæ genuit me.

CAP XX.

Hortatur ad mortificationem sensuum.

ATTENDITE filij, quæ dico. Sensus, & cogitatio hominum prona sunt ad malum ab adolescentia sua. Propterea, necesse est, vt mortificationem meam, in corpore vestro, semper circumferatis: Equus enim effrænis in abundantia virium suarum non saluabitur. Castigate sensus vestros, quasi iuenculos indomitos, ne forte legem mentis transgrediamini. Nec durum vobis videatur oculos cohibere, ne mors intret per fenestras, & osium circumstantiæ ponere labijs vestris, ne verbis indisciplinatis me offendantis: placebitis enim mihi valde, & pro visus mortificatione, videbitis lucem

lucem splendidissimam, quam videbat Tobias, & Isaac, postquam caligauerant oculi eius Pro labiorum verò custodia, docebo vos dulcissimum sermonem meum, qui linguas infantium facit disertas. Certè sancti mei, qui regnum cælorum violenter rapuerunt; sensibus suis, quod volebant, constantissimè negarunt: & facti sunt custodes lectuli Salomonis, tenentes semper enses districtum, contra femur suum. Sensuum enim pugna nunquam intermittenda est, si salui esse velit, ne pereatis, vel à sagitta iracundiæ volante in die, vel à negotio impuritatis perambulante in tenebris, vel ab incursum ambitionis, seu dæmonio meridiano. Nullus locus, nullum tempus, quamdiu mortales estis, à sensuum prælio immunis est: ne igitur salutem vestram æternam contemnatis. Et quidem extremæ dementiæ est, sinere sensus vestros duci in æternam captiuitatem: cum possitis per modicum laborem, & mortificationem, infinitam consolationem eisdem sensibus, in cælesti regno meo, superuenturam comparare.

Quid

Quid quæritis delectationes impuras?
Ad vera potiùs, & æterna gaudia, breui
luctu, suspirate.

Cap. X X I.

Monet mortis memoriam.

VTINAM Filij Adæ saperent, &
intelligerent, ac nouissima pro-
viderent; Vtinam & vos, qui non vide-
mini repellere consilia mea, sæpe, ac
serio cogitaretis, qualis anxietas in
hora mortis ventura sit. Certè mundi
desideria statim euanescerent, nequè
in æternū peccaretis. Omnes ad mor-
tem velociùs, quam à texente tela suc-
ciditur, properatis, paucitasque die-
rum nimis breuium finietur breui: &
tamen mortis vix vnquam recordami-
ni. Palatia sumptuosa, promptuaria
plena, filiarumque vestrarum circumornata,
vt similitudo templi, aperte demon-
strant, quid inter vos ipsos meditemi-
ni. Quid scitis, an prima, an media no-
cte, an galli cantu, venturus sim, & in
virga directionis rationem vitæ peti-
turus? Ego dinumero gressus vestros,
& tanquam in sacco, signo debita ve-
stra,

stra, quasi celeriter æs alienum exacturus: & vos mortem, nec per horam, cogitatis? Non placet mihi grauis obliuio hæc, ob quam puniui ciuitatem meam Ierusalem. Cùm enim essent sordes eius in pedibus eius, non est recordata finis sui. Si enim finem cunctorum uiuentium præuidisset, quomodo pedes inquinasset? Transitus illius memoria cor premit, ne altum sapiat; sed in timore, ac tremore salutem operetur. Propter quod, filij mei, inter negotia, & gaudia sæculi, frequenter mortis agonem, doloremque pensate: Ut per vias rectas iustitiæ; ac immaculatę legis meę, alacriter tendentes, in æternum non pereatis: sed tanquam fideles, ac solliciti serui, statim ac venero, & pulsauero, confestim aperiatis mihi, & intretis in æternum gaudium Altissimi Patris mei.

CAP. XXII.

Monet Iudicij timorem.

QUI iustificari quæritis, timete abyssum iudicij mei, in quo causas omnes filiorum Adæ, cùm accepero tempus, iudicabo. Dum ego culpas hominum

minum diffimulo, ipsi quasi taūri pingues sine freno timoris exultant; Sed per memetipsum iuravi, quia mihi curuabitur omne genu. Ego faciā verbū in Israel, quod qui audierit, tinnient ambæ aures eius. Tacui enim, diu silui & patiens fui: sed in suprema die iræ, vt parturiens, cum impetu, loquar: Nunc parco, & mitissimo corde inimicos meos ad pænitentiam, & veniam voco: tunc verò, quando erit tempus, quale non fuit, ex quo gentes esse cæperūt, deducā oēs gētes in vallē Iosaphat & ibi disceptabo cum eis super nouissimo testamento meo. Ne abutami, o filij, mansuetudine mea, quasi nunquā cū iudice acturi: omnes enim vos manifestari oportet ante tribunal meū, vt referat vnusquisq; pro vt gessit in corpore, siue bonū, siue malū. Misericordia mea superexaltat iudicium, vt postea tam seuerè puniā quàm misericorditer nūc ignosco. Timete irā meā pusilli, & magni, & per opera bona timorem futurum præcauete. Columnæ cæli contremiscent, & pauebunt ad nutum meum; nam in Angelica natura reperiam prauitatem: Quan-

to et-

to ergo magis æquum est, homines, qui habitant domos luteas, pauere iudicium meum, nec bibere, quasi aquam, iniquitatem? Placeat vobis paternis visceribus dignum consilium meum: Si me propitium, in die ultionis, videre desideratis, ante diem rationis, me tanquam iudicem expauescite. Viuite in multa cordis sollicitudine, mihi soli placere studentes; non enim proderit vobis fauor, aut gratia hominum, si me prius non placatis. Videte, quod ego sim solus, & nō sit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciā, & non est, qui de manu mea possit erueri. Ego reddam ultionem hostibus meis: & ijs, qui oderant me, retribuam.

*Cap. XXIII.**Monet fugam peccati.*

NIHIL est, filij charissimi, quod iram meam prouocet, nisi peccatum: cuius causa, tactus dolore cordis intrinsecus, deleui, per diluuium hominem, quem formaueram; & excitatus sum ad puniendos inimicos meos. tan-

os, tanquam dormiens, & tanquam potens crapulatus à vino. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: intolerabilis enim mihi est peccati turpitudine. Angelis non peperci, & horrendis supplicijs orbem terræ percussi: vt grande peccati malum pensare disceretis. Si ergo iram meam vitare cupitis; quasi à facie colubri, fugite peccatum, & per vias iustorum rectas ad me venire properate. Aedificent alij Babylonem, & qui in sordibus est, sordescat adhuc: vos autem, qui me sequi desideratis, ab omni peccato abstinentes curate, vt citò, aedificentur muri Ierusalem, atquè adeò, qui iustificatus est, iustificetur adhuc. Non est pars in filio David ijs, qui peccare non timent: immo tradentur ipsi in manus gladij, & partes vulpium erunt. Rem quippe nefandam operati sunt, & vestimenta sua in sanguine Agni non dealbauerunt. Expurgate vetus fermentum, & sanctuarium cordis vestri, vbi habitare cupio, ne imposterum polluatis. Apparebuntque vultus vestri, coram me, formosiores, per abstinentiam peccati, quam

C

ti, quam

ti, quàm vultus eorum, qui in domibus regum nutriuntur in croceis, & amplexantur stercora peccati. Estote imitatores mei, sicut filij charissimi, vt representetis, imagine viua, innocentiam meam, & spurcitas peccati impoluto calle pertransite. Hæc est sapientia Iustorum, qui culpam magis, quàm inferni pænas timent: & studiosissimè fugiunt incentiua peccati. In dies singulos quærunt aspergi sanguine meo, & mundari, ac super candidissimam niuem dealbari.

CAP. XXIV.

Monet compunctionem cordis.

QVI mihi placere cupit, non quær-
rit, altum sapere: sed in animo
contrito, atquè sollicito à me suscipi.
Propterea fugit omnia illa in quibus
animus sibi placet: & ea exercitia eli-
git, quæ mundi fugam, & lachrymas
generant. Ex hoc numero fuit rex ille
Ieruus meus, qui cùm esset paruulus, in
oculis suis, nihil curans regni magni-
tudinem, media nocte surgebat, ad
confitendum mihi, & innumeris suspi-
rijs, &

rijs, & gemitibus potum cum fletu miscebat. Filij huius sæculi, qui dignitates magnas ambiunt, & qui amore diuitiarum descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, & illi etiam, qui per negotia quocumque licita nimis distrahuntur, raro valde compunctionem habent. Amici verò mei, quorum anima concupiscit, & deficit in atria mea, inter ipsa negotia, suspirant ad me, & statis horis, intrant in cubiculum clausoque ostio, effundunt in conspectu Patris mei orationem suam, & tribulationem suam ante ipsum pronunciant. Ex quo fit, vt compunctionis sensus descendat super humilia corda ipsorum, sicut pluuia in vellus, vel sicut stillicidia stillantia super terram. Et vos ergo, filij mei, alta fugientes salutarem peccatorum dolorem, & compunctionem in abscondito requirite: flere discite: & dulcissimis lachrymis stratū vestrū in filētio noctis rigate. Et in vigilia matutina, cordis contriti sacrificiū odorabor: & reducā super inimicos vestros aquas maris, cum intima letitia cordis vestri.

CAP. XXV.

Hortatur ad perfectam conuersionem.

VSQVEQVO, filij Adæ, claudicatis in duas partes? Mihi ex toto corde seruire renuitis, & mundo partem cordis male diuisi destinatis? Quid dicam vobis? cur me quasi durum Dominum timetis? Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Ego enim nunquam nocui viro, qui vellet seruire Patri meo: populus autem meus, si non contempisset me, non alleuassem lanceam meam super eam. Nunc verò quid vultis faciam vobis? Ero Deus vester, & mitissimo corde filios prodigos suscipiam, quamuis substantiam consumpserint viuendo luxuriosè. Nō reijcio publicanos, sed infinita dulcedine illis, ad primum gemitum, reconcilior. Non irascor seruo nequam supplicanti: sed decem millia talenta, ad solas preces, dimitto. Quare ergo vos de me non benè opinamini, & ad me toto corde reuerti dubitatis? Sacrificate mihi corda vestra, & per ignem exaudiam

audiam vos: & numerabo inter fidelif-
simos amicos meos. In misericordia
reducam vos, & adducam per torren-
tes aquarum in via recta, nec impin-
getis in ea: quia factus sum vobis pa-
ter, & populus vester, melius, quàm E-
phraim, primogenitus meus est. Eritis
mihi fæderati, nam, ab antiquo, dilexi
vos, & luctum vestrum in gaudium cõ-
uertere decreui. Sufficit præteritum
tempus peccato impensum: nunc ve-
rò, sicut exhibuistis membra vestra ser-
uire peccato sub tyrannide Pharaõ-
nis, sic (quod reliquum est vite) exhibe-
te illa, vt seruiant iustitiæ, sub imperio
suauissimo filij Dei, qui regnavit à cru-
ce, & domuit orbem non ferro, sed li-
gno. Soluite iam vincula colli vestri,
captiui Adæ filij, & ad libertatem fi-
liorum Dei respirate. Projicite iam i-
dola mundi de medio vestri: vt in cor-
de vestro solus possim habitare. Mun-
damini balneo sanguinis mei, qui per
sacramenta influit in animas vestras: &
inter viua, perfecta que Ecclesiæ spon-
sæ meæ, membra, spiritu vitali meo re-
gi, ac dulcissimo Iustorum consortio
frui properate. C 3 PARS

PARS SECUNDA
DE
VIRTUTIBVS,
Quarum actus Iustorum pru-
dentia præscribit,

CAP. I.

*Docet IESVS CHRISTVS sum-
mam sapientiam, in vitæ puritate,
veroque virtutum cultu,
consistere.*

SENECA venerabilis
est, charissimi filij mei, nõ
diuturna neque annorum
numero computata: Cani-
enim sunt, incontaminati
sensus hominis: & ætas senectutis vita
immaculata. Utinã verbũ crucis, quod
ijs, qui salui fiunt, Dei virtus, & sapien-
tia est, semel saltem adhæreret visceri-
bus vestris, vt loti anima, & corpore,
ascendentesque de lauacro pretiosi
valde sanguinis mei, cordis puritatem
seruaretis. Ipsa enim puritas secretò
erudiret vos, & occulta sapientiæ meę
suauissimo magisterio manifestarẽ vo-
bis.

bis. In maleuolam quippe, & coinquinatam animam non introibit sapientia mea, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Ille verò solus ad æternitatem sapiet, qui ingreditur sine macula, & manus suas seruat innoxias, ne peccato vlllo fædetur. Hæc est altior mûdo eruditio mea, quã David seruus meus accepit; dum super senes intellexit, quia mandata mea, immaculato corde, quæsiuit. Hæc est mentis maturitas, quam Agnes tenera puella, & dulcissima sponsa mea, comparauit: Infantia siquidem cõputabatur in annis: Sed erat senectus mentis immensa. Et omnes, qui per veras virtutes (quæ sunt ipsamet animæ pulchritudo) exhibent mihi puras animas suas, non habentes maculam, nequè rugam, numerantur inter senes longæuos regni mei, sapientiæ laude, in consilio iustorum, celebratos. Abstergite ergo, filij, sordes mentis, & accuratissimo virtutû mearum studio extollite manus puras in sancta: faciemque meam suauissimo noui sacrificij odore, requirite.

CAP. II.

*Hortatur ad primam ætatem, per
veras Virtutes, Deo conse-
crandam.*

OFFERTE mihi primitias, cha-
rissimi filij, ætatemque primam,
sacrificio matutino, antequàm pollua-
mini, mihi consecrate: & placebitis
mihi super vitulum nouellum, cornua
producentem, & vngulas. Quid vobis
cum filiabus Madian, quæ veros fili-
os Israel carnali gratia corrumpunt?
Ne sequamini Moabitides, & Sidonias:
certissimè enim subuertent corda ve-
stra. Sacrificate mihi potiùs primum
ætatis florem, & inter nouellas pie-
tatis plantas, iustitiæ decorem germi-
nate. Certè, si sciretis, quàm gloriosum
sit, ab ipsa pueritia, mihi seruire; tæde-
ret vos mundanæ consolationis, quæ
teneras, ac inexpertas animas seducit.
Felices illi, qui ab infantia discunt ti-
morem meum, quo amabilem ætatem
illam à corruptione præseruent. Qua-
si lilia, inter spinas, in paradiso meo,
florebunt: & tanquam cedrus, quæ in
libano

libano est, multiplicabuntur. Quasi cinnamomum, & balsamum aromatizans, virtutum cum ætate crescentium odorem, in Ecclesiæ meę plateis, effundent. Et ego habebō in deliciis dulcissimam iuventutem, quæ vt mihi serueret. parentes, & amicos nesciuit, mundum negauit, & me, super omnia æstimare, quærere & diligere decreuit. Erunt mihi sicut Sāmuēl, & Tobias fidelissimi serui mei, qui à primis annis vsque ad senectutem mihi placuerunt. Benè incipient, meliusque proficient, adhucque multiplicabuntur in senectate vberi. Et benè constantes erunt, vt posteris suis annuncient, quoniam misericors valde sum ego & glorifico dilectissimos amicos meos.

CAP. III.

Hortatur ad exercitium fidei.

MIRVM est, filij charissimi, quanta sit ingratitude vestra, circa exercitium fidei; quæ sicut lucerna lucet in caliginoso mortalis vitæ loco, donec dies æternitatis illucescat, & lucifer diuinus oriatur

in cordibus vestris. Certè vobis datum est, nosse mysterium regni Dei, participesque fieri cælestium sacramentorum, vt cognoscentes ea, quæ carneis oculis videntur, temporalia esse, vosque, vbi modò non videtur, habere meliorem, & manentem substantiam, vsu fidei, contemneretis momentanea, & diligeretis æterna. Nunc autem fidei exercitium obliuioni traditur, quasi ad benè viuendum parùm salutare esset. Non placet mihi obliuio hæc, quæ multos quoque seruos meos occupauit: non enim vtuntur fide mea, in prosperitatibus, & aduersitatibus, vt omnia vincant, & se à peccatis immunes conseruent. Certè Moyses seruus meus, grandis factus, fidei exercitio, negauit se esse filium filix Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias estimans thesauro Aegyptiorum improprium meum. Aspiciebat enim, accenso fidei lumine, in remunerationem, quam, sine fide, non aspiceret. Sic & vos, filij mei, quibus reuelata sunt mysteria in-

finitæ

finitæ consolationis plena, quæ à sapientibus, & prudētibus Pater meus abscondit, debetis fide cor sincerum firmante uti, ad mundi gloriam despiciendam, & crucis disciplinā, præ diuitijs, & honoribus, æstimandam. Videte quàm parùm profuerit tot sectis Philosophorum, definiantium, diuidentium, argutè disputantium, illa sterilis cognitio creaturarum, quia non fuit eis datum, ut cognoscerent me. Recogitate grande beneficium hoc, & cum intima gratitudine, ob reuelationem fidei meæ, in corpore meo, quod est Ecclesia, me auctorem salutis vestræ laudate. Sitis sinceri, non scrutantes, in mysterijs altissimis fidei, Maiestatem meam, ne fortè à gloria opprimamini: sed in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei: quæ mites animos mihi, sine discussione credentes, & corda casta requirit.

*CAP. IV.**Hortatur ad spem.*

IACTATE in me, filij, cogitatum vestrum, & ego vos enutriam: projicite in me pondus laborum, & afflictionum vestrarum, & ego illud tollā.

A sæculo enim non est auditum , vt confunderetur, qui in me confideret. Dura ceruice, & incircumcisis cordibus mihi semper restitistis , adhuc & vos, qui inter discipulos meos esse cōtenditis. Non enim benè de me sentire vultis , & contra misericordias meas magnas, nimia pusillanimitate pugnatistis: quasi peccantibus parcere , aut vitiorum, & passionum tentationumque victorias concedere , aut temporalia bona ad æternam salutem profutura largiri nolim. Numquid infidelem promissorum redditorem me probastis ? Quando defui suspirantibus ad me? Certè, vel ex ipsa experientia conuincere possum , vos esse imitatores illorum, qui dixerunt: Percussit petrã, & fluxerunt aquæ , & torrentes inundauerunt: Nunquid & panem poterit dare , aut parare mensam populo suo? Quid vobis videtur de cæcitate hac? Profectò si ego potavi populum sitiëntem, sine dubio sperandum erat , me panem esurienti populo daturũ. Quare ergo serui mei experti priores misericordias meas , non sperabunt posterio-

steriores, quas experientia meæ dulcissimæ bonitatis sine difficultate promittit? filij modicæ fidei quare dubitatis? Ego sum ipsa bonitas infinita, & delector benefaciendo ijs, qui oderunt me; nunquid ergo non miserebor ijs, qui me die, ac nocte requirunt? Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quantò magis Pater meus cælestis dabit spiritum bonum petentibus se? Nemo desperet veniam, quantumuis me grauitè offenderit: quomodo enim potero non parcere, qui fuso redemptionis pretio Saluatoris officio, & suauissimo (Iesus) nomine glorificor; Porrò si confidenter vocetis me, & si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, vt vermiculus, quasi lana alba erunt. Si enim, cum adhuc peccatores essetis, nec de me placando cogitaretis, misericordia mea præuenit vos: an credibile sit, modò, quando iam cor meum gemendo pulsatis, me vos non exauditurum? Ne sitis increduli, & degeneres: quasi temporalia quoque bona vobis defutura sint: mandabo

dabo quippe nubibus desuper, & ianuas cæli aperiám: pluam vobis manna ad manducandum, & filiorum pane saturabo. Respicite volatilia cæli, quomodo non serunt, nequè nent, & Altissimus Pater meus pascit illa, nequè vnum saltem eorum est in obliuione coram illo: quanto ergo magis vos, filij mei, pro quibus, dedi, in manus inimicorum, preciosam animam meam, non eritis mortui à corde Patris mei? Habete fidem Dei, dum laboribus, & tentationibus exercemini. Amen quippe dico vobis, si quis vestrum dixerit alicui monti; Tollere, & mittere in mare: & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque per me petierit, fiat, fiet ei. Ego enim noui cor Patris mei, à quo, si quis, per me filium suum dilectum, in quo sibi complacuit, aliquid postulauerit, liberalius, quàm dici possit, dabit ei. Quòd si non statim videtur semper exaudire, ideo id facit, quia sic expedit vobis, vt perseuerãter orãdo, maius meritũ, & maius gaudiũ comparetis. Sperate ergo in eo
omnis cõgregatio populi, effundite in
conspe-

conspectu eius corda vestra: dico enim vobis, quia non fraudabit illos qui perseveranter confidunt in eo.

CAP. V.

Hortatur ad amorem.

FILII præbete mihi desiderata valde corda vestra; & me, ex tota anima, totaque fortitudine diligite. Non possum quippe corda diuisa sustinere; nemo enim potest duobus Dominis seruire. Sed vt ratio, & experiētia docent, alterum diligit, alterum verò cōtemnet. In hoc certè apparet stultitia filiorum Adæ, quod cū extra me requiē inuenire nō valeant, trahuntur apparēti voluptate rerū transeuntiū, & corda sua pro nihilo vendunt. Species decipit eos, & fallaci decore abalienati sunt retrorsum. Sequuntur deos alienos, qui cultores suos ficta deitate seducūt. Facti sunt filij hominum, quasi colūba seducta nō habēs cor, nidificantes in alienis tectis, vnde pulli passim surripiūtur. Sanius cōsiliū est, filij mei, nidificare in foraminibus petre, & in molli cauerna maceræ, quam vobis præparauī; vt propinquitate
cor-

cordis mei lætaremini, & exultaretis ad gaudia mea, quasi qui inuenit spolia multa. Ego vobis amicus, soror, frater, pater, mater, & sponsus effectus sum: & ad infiniti amoris ostensionem, quasi colonus in terra spinas, & tribulos germinante, feci, pro salute vestra, que nemo alius fecit: quare ergo alienamini à me, & detrectatis dulcissimum consortium meum? Si vtilia quæritis, omnia mea bona vestra sunt: & ad hoc, vos inuitare decreui, vt fruamini æterna hæreditate mea. Si honorifica vultis: estote amici fideles, nimis enim honorificati sunt amici mei, nimis eleuatus est principatus eorum. Si delectabilia placent, magna nimis est multitudo dulcedinis, quam præparauit diligentibus me. Quocirca placeat vobis consilium meum, vt cordium vestrorum tributum mihi reddatis, si summi boni, in quo sunt omnia bona, vultis esse participes. Quid moramini expectati valde amici mei? Abijcite vanos amores, & verum amorem meum, quo nihil in terris, aut in cælis dulcius esse potest, super mundi diuitias, voluptates,

ptates, & honores æstimate. Fument
mihi altaria cordium vestrorum ca-
stos amores spirantium, & odorabor
odorem infinitæ suauitatis, quem cu-
pit anima mea. Considerate, filij, quan-
tæ sit consolationis, affectum primo-
genitum mihi consecrare, & quàm
stricto iure, mihi omnia primogenita
sanctificare debeatis. Ego quippe sum
ipsamet bonitas, pulchritudo, & nobi-
litas infinita, cui amor quoque infini-
tus debetur: & extremæ dementiæ est,
me relicto, impuris amoribus sacrari-
um cordis fædare. Quid iam expecta-
tis? Placeat vobis amicitia mea magno
pretio æstimanda. Sum enim candor
lucis æternæ, ac speculum sine macula,
sum diues inter omnes orientales, vt
opibus augeam amatores meos, sum
corde mitissimo ad parcendum ijs, qui
spreuerunt me, sum eloquio dulcissi-
mus, vt suspendam auditores scholæ
meæ, sum Rex cordium Pacificus, & re-
rum vniuersarum summus Imperator,
& tamen vos conditione viles, inopes,
& ingratos, sine præteritarum culpa-
rum exprobratione, quasi fidissimos a-
micos

nicos meos recipiam, & amplectar. Sinite ergo ad amorem meum, quo solo viuitur, saxea corda vestra moueri.

CAP. VI.

Hortatur ad penitentiam.

TAM graue peccati malum est, charissimi filij, vt si fieri posset pœniteret me fecisse hominem, quem formaui. Pugnatur enim cum infinita bonitate, & puritate mea, & Maieitati meae vilissimas creaturas anteponebat. Obstupescunt cæli super hoc, & eius portæ desolantur vehementer. Peccata enormia multiplicantur super numerum arenæ maris: & filij, quos exaltaui, & enutriui, spreuerunt me. Quid dicam vobis? quid faciam generationi vestræ, quæ ad misericordias meas obduratur? Certè, si inimici mei, qui falsos deos colunt, maledixissent mihi, sustinuissem vtique: & propter ignorantiam, quodammodo illos excusassem. Vos autè, quibus illuxit formosa valde lux Euangelij mei, excusationem non habetis de grauissimis peccatis, quibus irritastis me. Viri Niniuitæ surgent in iudicio,

cio,

cio, cum generatione hac ingrati populi mei; & comparatione illorū, qui ad prædicationem Ionæ pænitentiam egerunt, damnabuntur multi filij regni, & æterna excommunicatione ei jci-entur in tenebras exteriores. Inspirationes quippe filij Dei post tergū momentis, & ad pacem, & reconciliationē corde mitissimo inuitantis, repulerūt. Nunc ergo vos, filij, infinitum numerum stultorum impænitentium ne sequamini, sed reuertimini ad cor. Accedite ad me de tenebris, & umbra mortis, & candidissima luce gratiæ illuminamini: & facies vestre non confundentur. Lugete fletu magno, vt doleri solet in morte primogeniti, quia venundati estis, vt faceretis malum, & balneo lachrymarum corda vestra lauate. Ne differatis vano consilio pænitentiam: iuxta enim est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Videte, quid feceritis, dulcissima amicitia mea dissoluta, æternæ consolationis iure amisso, & sempiterni cruciatus reatu incurso. Venenum peccati festinat in mortem; festinate vos

VOS

vos per intimum dolorem, & sacramentorum remedium, ad vitam gratiæ pretiosissimam, iucundissimamque resurgere.

CAP. VII.

Hortatur ad amorem proximi.

RECORDAMINI, filij, noui ac dulcissimi testamenti mei, quomodo cum dilexissem meos, qui erant in mundo, in finem dilexi eos: & ne obliuiscamini signi amoris mutui, quo volui cognosci discipulos, & amicos meos. Mandavi tempore incolatus mei, & nunc per frequentissimas inspirationes idem repetens, hæc mando vobis, vt syncerissimo amore diligatis inuicem, sicut dilexi vos Sanauis infirmos vestros: erexi languidos, afflictos consolatus sum: cum ijs, qui oderunt pacem, fui pacificus: publicanos, & peccatores amantissime recepi: vilitatem, & rusticitatem non exhorru: omnibus omnia factus sum: nec vlllo tædio lassatus, exclusi aliquem à suauissima conuersatione mea. Quare ergo serui mei, qui videntur supra modum Apostoli,

stoli,

stoli, pauperum, & debiliura fastidio vincuntur, & afflictorum onera portare recusant: Qui viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Causantur se meliorem partem Magdalenaē dedisse, & ad proximorum calamitates obdurescūt. Quid est hoc? Qualis doctrina est hæc? non placet mihi ocium hoc, & comoditas parūm consona proximorum dilectioni, quæ est plenitudo dulcissimæ legis meæ. Estote misericordes, filij, & miseras fratrum vestrorum promptissimo corde subleuate. Ne addatis afflictionem afflictis, quorum clamor penetrat viscera mea. Ego enim Pontifex vester, experientia quoque factus misericors, noui crudelia corda filiorum Adæ, quæ difficilè ad fratrum suorum grummas commouentur. Discite iam mores meos, & emolito corde iram, somnem, tædia, & asperitatem superate: Et ego recensebo vos discipulorum meorum signo notatos, inter dilectissimos fratres meos: qui sine fine gaudent adoptione Altissimi Patris

Patris mei, & satiabuntur ab vberibus
consolationis meæ.

CAP. VIII.

Hortatur ad obedientiam.

FILII dilectissimi, si vultis in mari
magno, cuius fluctus ascendunt vs-
que ad cælos, & descendunt vsque ad a-
byssos, securè nauigare, imitamini me:
qui cum essem filius Dei, didici ex ijs,
quæ passus fui, obediētiam, & per obe-
dientiam cōsummatus, factus sum om-
nibus obtemperantibus mihi causa sa-
lutis æternæ. Bonum est viro, cum por-
tauerit, iugum ab adolescentia sua. Si
enim alijs, qui repræsentant personam
meam, obedire assuescat, proprii iudi-
cij, & propriæ voluntatis, qua ciuitas
Babylonis ædificatur, pericula vitabit,
& sub vmbra alarum mearum, ab æstu
mūdi requiescet. Non ei nocebunt ca-
ruli leonū rugiētes vt rapiāt, & quærāt
à Deo escā sibi. Ego quippe sū custos fi-
delissimus eorū, qui intellectū, & vo-
lūtatem mihi obediētix sacrificio im-
molāt, est enim holocaustum adipe, &
pinguedine plenū in odorē suauissimū
Patri meo. Væ illis, qui subesse nolunt,
& pro-

& proprio iudicio omnia metiri volūt; qui lōgè recesserūt à māsuetudine disciplinæ meæ. Cæci sunt, & seipso præcipitabūt: cogitationes enim mortaliū timidæ, & incertæ ipsorū prouidentię sunt: neque valent ea mala vitare, quæ non valent à longè prospicere. Luciferi discipuli fiunt: & dum maioribus non acquiescunt, ad similitudinē Idololatrarū peccant: quippe quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Vos autem filij, inclinate aurem vestram, in verba oris mei: & ijs, quos ego vobis præposui, fideliter quasi mihi ipsi obtemperate. Hæc est magna pars prudentiæ Iustorum, qui consilio meo regi desiderant. Hæc est omnis Religiosorū iustitia, sapientia, & fortitudo. Hæc est via ligni vitæ, quam Cherubim flammeo, & versatili gladio clauserunt. Ite ergo, filij & conficite viam hanc: vt sicut ego factus obediens vsque ad mortem, obedientię remuneratione Iesus vocor, & glorificor; ita & vos ad formosissimam gloriæ lucem, per obedientiam resurgatis.

CAP.

CAP. IX.

Hortatur ad Castitatem.

Quàm pulchra est, charissimi filij, casta generatio, quæ cælesti claritate resplendet, Nec rosæ, nec lilia, nec hortorum amænitas, cum decore castitatis comparari possunt. Quàm splendidi Virginum, & monachorum chori in platea Ierusalem ex auro mundo, crystallo simillima sequuntur me, & dulcissimam Cæli Reginam genitricem meam? Immarcescibilis, & immortalis est gloria castitatis, quæ seruauit corpus immune à rugientibus præparatis ad escam, & quasi myrtha electa dedit suauitatem odoris. Ego virgo, & Virginis filius ardentissimè amo, quos singularis prærogatiua castitatis ampliori dilectione facit dignos. Sunt mihi quasi colubæ, quæ lacte sunt lotæ, & sine vlllo inquinamento, resident iuxta gratiæ meæ fluentia plenissima. Delitiæ meæ sunt corda casta, quæ præter me amores omnes respuerunt, & vultus suos dulcissima pulchritudine splendentes, mihi so-

hi so-

hi soli consecrarunt. Hæc sunt castra
mea niue candidiora, & sapphiro pul-
chriora, quorum forma delector. His
ego manifesto secreta mea, in his po-
no regium thronum meum. Hic est fru-
ctus plusquàm suauissimus laboris, &
passionis meæ. Nunc ergo filij diligite
me, & despondete mihi, quasi Virgines
castas animas vestras, si placet vobis
thalamus deliciarum mearum; vbi gu-
statur, in fonte ipso, infinita dulcedo a-
moris mei. Quid agitis vagantes per
amores impuros, qui vos diuertunt à
complexu meo? Eligite iam nuptias A-
gni candidissimi, & Virgineum florem
per dolores, & agones, à spurcitijs car-
nis, impolluto calle præseruate. Et eri-
tis fructus melle dulciores, in paradiso
malorum punicorum, quæ amore sem-
piterno flagrant, in amænissimo para-
diso meo.

CAP. X.

Hortatur ad Paupertatem.

NE timueritis, filij mei, cùm diues
factus fuerit homo, & cùm mul-
tiplicata fuerit gloria domus eius.

D

Quoniam,

Quoniam, cum interierit, non sument
 omnia, nequè descendet cum eo in In-
 fernam gloria eius. Certè melius est
 modicum iusto, super diuitias pecca-
 torum multas. Ideo electi mei, timen-
 tes ne fortè reprobi fierent, diuitias,
 vel hereditate acceptas, vel donatas
 repulerunt, & paucis contenti, in labore,
 & fatigatione, in fame, & siti, in frigo-
 re, & nuditate, vitam mortalem agen-
 tes, ad supernam Ierusalem, vbi suas o-
 pes recondiderant, festinarunt. Malue-
 runt circuire in melotis, & pellibus
 caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in
 solitudinibus errantes, in montibus, &
 speluncis latentes: quam mollibus ve-
 stiri, sicut qui in domibus regum sunt:
 ne fortè ob terrenam substantiam à
 regno caelesti excluderentur. Hæc fuit
 probatio fidei illorum multò pretiosi-
 or auro, quod per ignem probatur: nã
 modicum passi, æternas opes, & inæsti-
 mabilia gaudia, compararunt. Imitati
 sunt me pauperem, & in laboribus
 probatum à iuuentute mea: permanse-
 runt mecum in tentationibus meis: &
 ideo regnant mecum: in amplissimo
 regno

regno meo. Et vos ergo, filij, tantam habentes impositam nubem testium, per patientiã boni operis, per incommoditates, & abiectiões, quæ sunt difficilissimæ paupertatis comites, ad me venire properate. Cauete mundi cõsilia, quæ & seruos meos subducere solent, dum paupertatis statum profitentes, nihil necessarium sibi deesse vølunt, & indignè ferunt si desit. Non docui ego has doctrinas hominum me patientè sequi recusantium. Non sunt hi veri, ac beati pauperes spiritu, quorum est regnum cælorum. Ne sequamini preceptores hos, quos ego non misĩ, prophetas hos, quibus ego non sum locutus. Estote veri, & synceri discipuli mei, & paupertatem, dulcissimam spõsam meã, cælestibus gaudijs fructuosissimã medijs visceribus imprimite, & ego scribam nomina vestra in medio corde meo.

*CAP. XI.**Hortatur ad humilitatem.*

SI SCIRENT homines, ô filij dilectissimi, donum Dei, quo humilia corda gaudent: Si scient, quàm sit propitius Altissimus

D e**Pater**

Pater meus erga humiles trementes
sermone eius: & si faxis duriores es-
sent, ad humilitatis studium conuerte-
rentur. In altis habitat Pater meus, &
superbos præcipitat: Sed humilia cor-
da amantissimè respicit in Cælo, & in
terra. Suscitatur à terra inopem, & de
stercore erigit spiritu pauperem: ut se-
deat cum principibus, & solium glo-
riæ teneat. Et ego quidem, qui in terra,
quam dedi filiis hominum, humilita-
tem exercui (ubi, licet essem vnigeni-
tus à Patre, plenus gratiæ & veritatis,
regnare nolui) humiles animos, tan-
quàm dulcissimos fratres meos, am-
plector. Tanta est enim suauitas humi-
litas, quam à præsepio vsque ad cru-
cem verbis, & operibus sine intermis-
sione, docui; ut à simplicium, & humi-
lium conuersatione abstinere vix pos-
sim. Si ergo vobis placet societas, &
conuersatio mea, recumbite, filij, in
nouissimo loco, & paruuli estote in o-
culis vestris. Non enim habitabit in
medio domus meæ, qui facit superbi-
am: superbo oculo, & insatiabili cordi
nunquam amicus ero. Respiciam poti-
ùs in

tes
ef-
te-
&
or-
in
de
se-
lo-
ra,
ta-
ni-
tis,
an-
m.
ni-
ru-
is-
ni-
of-
&
in
o.
in
di-
ti-
in

us in orationem humilium, nec sper-
nam vnquam preces eorum: facti sunt
enim ad proportionem humillimi
cordis mei. Veni ego vobis ministrare,
& meipsum exinanire, vt in me quid à
vobis agendum esset, disceretur. Ego
versus sum hominibus in parabolam,
factus, opprobrium hominum, & po-
strema abiectio plebis: quomodo ergo
fastum assumere, & maiores alijs vide-
ri contenditis? Quomodo sub nomine
christiano, quod mundi contemptum,
& demissum cor sonat, elationem (ca-
pitalem inimicam meam) abscondere
tentatis? Quid est hoc? Nunquid non
apertè reuelatus sum seruis meis testi-
ficans, quia omnis qui se exaltat, humi-
liabitur? Quare ergo, per functiones e-
tiam spirituales, & sacras, magni in
Ecclesia mea apparere desiderant? De-
scendite iam, filij, è lateribus Aquilo-
nis, & capitibus vestris cinerem asper-
gite. Vos vocatis me, Magister, & Do-
mine, & bene dicitis: sum etenim. Si er-
go ego Dominus, & Magister laui pe-
des vestros, & vos debetis alter alteri-
us lauare pedes. Exemplum enim, quo

ferrea corda domarentur, dedi vobis: vt quemadmodum ego, flexis genibus, feci vobis, ita & vos, demisso corde, faciatis.

CAP. XII.

Hortatur ad mansuetudinem.

AT TENDITE, filij, legem noui testamēti mei, & subdite collum iugo suauissimæ mansuetudinis meæ. Sedes superbiorum destruxit æternus Pater meus, & sedere fecit mites pro eis. Propterea ego, qui mitis sum super omnes, qui morantur in terra, pacifico regno cordium, constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius. Sed & purissima Virgo, & genitrix mea, quæ est inter omnes Adæ filios mitis, ciuibus supernæ Ierusalem, vt Regina mundi, præposita est. Hoc est regnum amicorum meorum non pugnando, sed parcendo, & perferendo paratū, cui cessit lacerans fortiter vngula, nec immobilia carpsit penetralia. Hoc est regnū eorum, quos ego candidissimus Agnus Dei, misi in omnem terram, tanquā agnos inter lupos, cum

cum domui Orbem non ferro, sed ligno. Hæc sunt elementa prima scholæ meæ, humilitas, & mansuetudo. Vos ergo, filij, quibus placet secreta, & mundo incognita eruditio mea, estote mites corde, & omnes contumelias, & impropria, velut agni coram tondente se obmutescens tolerate. Ne moveamini de statu serenitatis, & tranquillitatis vestræ, cum irridemini: sed omnem amaritudinem, & asperitatem, abijcientes, hilarem semper faciem, in spiritu lenitatis ostendite. Tanquam oves ad occisionem duci vos finite, & inimicis in vestra corpora sequentibus vos inermes, & mori paratos exhibete: sicut ego feci, quando circumdederunt me canes multi, & cœcilium malignantium obsedit me: quando scilicet aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens, & rugiens. Irascantur filij gehænæ, qui oderunt mansuetudinem meam: vos autem filij regni mei mitescete, & ad possidendam terram per mensuram beatitudinis vestræ patientes, & tacendo festinate. Et ego vos eruditionis meæ consortes, mundi

contemptores, inimicorum que crudelium victores ex dulcissimo victoriae genere surgentes, coronabo.

CAP. XIII.

Hortatur ad patientiam.

APERITE aures cordis, filij mei, dum fluit, quasi ros eloquium meum: & quæ moneo, benè percipite. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, qui que terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues, & pauper. Os enim meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Rarissimè apparet inter Adæ filios, qui in tribulatione sit patiens: & tamen multi, patientiæ occasiones studiosissimè fugientes, serui mei cupiunt apparere. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis ignominiosè recedunt. Et quidem tolerabilius esset hoc infidelitatis genus, si me non cognouissent; & quæ ego innocens pro illis peccatoribus pertuli, non credidissent. Nunc verò, cum hæc omnia cognouerint serui mei, quid dicam, dum video illos fieri, sicut filij Ephrem, intendentes, & mittentes,

tentes arcum, & conuerti ad fugam in die belli? Dicunt se filios Patris mei esse, & promittunt se scientiam Dei habere, & mecum mori desiderare: & statim, ac tentationem aliquam, infirmitatem, ariditatem, vel aduersitatem aliam eis immitto, vt probem, an ambulent coram me in veritate, & vt tanquam aurum in fornace illos examinem; tristitia magna absorbentur, & murmurant contra me. Quid est hoc? Usquequò non credet mihi populus meus, quem per desertum, quod non seminatur, in terram spatiosam, & suauissimo fructu fecundam deducere decreui? Ne credatis filij, carni, & sanguini, nec prudentiæ humanæ fidatis. Sit vobis, velut thesaurus pretiosissimus, quælibet occasio patiendi aliquid propter me: & hæc sit vobis summa consolatio, in hac mortali vita laboribus, exerceri. Hoc est signum electorum meorum, quos exerceo, & tento, quemadmodum tentavi Abrahã fidelissimum amicum meum. Hæc est nota veræ charitatis, quæ omnia suffert, & tribulatione; tanquam ignis

D 5 oleo.

oleo, nutritur. Hæc est via tutissima, qua itur in Cælum, quæ mihi conformes efficit, quos prædestinavit in adoptionem filiorum clementissimus Pater meus. Hac via tetenderunt sancti mei, qui per labores, & pericula, regnum cælorum violenti rapuerunt. Estote ergo vos, filij mei, fortes in bello, & orate cum illo, qui dicebat: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Et post agones mortalitatis, inæstimabili consolatione dilatabuntur corda, & corpora vestra: & fruemini beatissima luce mea.

CAP. XIII.

Hortatur ad gratitudinem.

EX quo formaui hominē, o filij mei, non cessavi die, ac nocte illi benefacere, & dolui super angustijs eius, sicut mater dolere solet super afflicto vni genito filio suo: Nec requieui videns afflictionem eius, donec descendi, vt liberarem eum, in similitudinem hominū factus, & habitu inuētus, vt homo. Factus sū Pontifex corde misericors, tentatus per omnia, pro similitudine
dine

84 *De Prudentia iustorum.*

mei, pro quibus dolores, & agones mortalitatis tuli, & quos carne, & sanguine meo paui & potavi, obliti sunt mei. Cōuertimini iam, filij mei, ad vos ipsos, & offerte mihi, in hostiam laudis, vitulos cordium, & labiorum vestrorum. Sacrificium enim laudis honorificabit me: & dabo vobis pluuiam voluntariam fontis viui, quem ingratitude siccauerat. Si volueritis, & audieritis me benefaciendi cupidissimum, bona terræ viuentium comedetis. Abyffus inuocabit abyffum in lege misericordiarum mearum: quæ descendent in capita vestra, sicut in verticem Nazaræi. Non erit terra vestra, sicut terra Aegypti, in qua, in hortorum morem, aquæ per fossas ducuntur irriguæ: Sed meliori sorte largissimas de cælo pluuias recipiet: Et ego allectus gratitudine vestra, prosperabo vos victuros mecum cum sole, & ultra lunã, & numerabo vos inter dulcissimos filios cordis mei.

C A P. XV.

Hortatur ad fortitudinem.

CERTATE bonum certamen fidei, &

ordinata. Sed quid modò dicam vobis, de nimis delicatis militibus meis, qui apparentia tentationum, & persecutionum pericula expauescunt; quasi ab increpatione mea non dormitarent inimici eorum, qui ad præliandum ascēderunt equos? An & ego non ascēdi equos meos, & quadrigæ meæ est ipsa saluatio? Nimia debilitas fidei, nimia incredulitas, est hæc. Quid timetis umbras amici mei? Sequimini potiùs me; mundum, tartarumque contemnite, & hostes vestri territi discedent. Si semel fortiter adhæseritis mihi, nequè mors, nequè vita, nequè persecutio, nequè gladius, nequè instantia, nequè futura, nequè creatura alia poterit vos separare à charitate mea. Ponite pedes vestros super colla regum Madian, & Reges Amorrhæos, vsque ad interuersionem delete. Cùm ingruerit bellum magnorum periculorum, & occasio ferendæ pro me mortis institerit, recordamini mei: & in hostes vestros audacter irruite. Pugnate pro lege noui, & æterni testamenti mei, & victorias cogitate. Ego dux vester ero, & splendissimam

diffimam coronam ineffabili consolatione plenam, pro victoria reddam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: vestietur vestimentis albis: & scribam super eum nomen suauissimum meum, & nomen Ciuitatis nouæ Ierusalem.

CAP. XVI.

Hortatur ad Iustitiam.

IVSTVS est Altissimus Pater meus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Quocirca, filij mei, si tanti Patris adoptio vobis placet, iustitiã toto corde diligite, & iniquitatem odio habete. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Reddite mihi sacrificium cordis contriti, & humiliati, & perenne amoris holocaustum in altaribus cordium immolate. Reddite superioribus fidelissimam obedientiam, æqualibus suauitatem, minoribus instructionem in spiritu lenitatis. Nemini quicquam debeatis, nisi debitum vnum, à quo vos liberare nolo, scilicet vt inuicem
in æter-

in eternū diligatis Hoc dulcissimo mutui amoris debito excepto, reddite unicuiq; quod suū est: & merces operarij non maneat apud vos, subtilissimis enim vocibus clamat ad me. Qua in re, dolendum est, filij mei, quān graui pōdere, conscientia principum terrenorum opprimantur. Vexant enim pauperculos subditos suos, sicut olim Pharaο populum meum, laterum, & palarum, pensum extorquentes, & iniusta vectigalia crudeliter imponentes ijs, qui in medio platearum, fame pereunt: & tamen non curant gemitus pereuntium. Verūm propter miseriam inopum, & gemitum pauperum exurgam ego: & potentes de sede deponam. Illi deprauant iudicium, pupillo non iudicant, humilem, & pauperem non iustificant, & causa viduæ non ingreditur ad illos. Ego tamen veniam iudicare populum meum in iudicio, & pauperes in iustitia. Iudicabo pauperes populi, & saluos faciam filios pauperum: & humiliabo calumniatores, & præuaricatores, qui sanguinem innoxium effundunt. Seruite
miki

mihi, filij, in timore, & ad iustitiæ de-
corem exultare: vt coronam iustitiæ,
quam requiritis, immortalibus gau-
dijs plenam recipiatis.

CAP. XVII.

Hortatur ad silentium.

LINGVA effrænis, ô filij mei, ca-
pitalis inimica spiritus mei, ca-
sta corda in abscondito instru-
entis est. Et tamen non solùm sæcula-
res homines, negotiatores terræ, &
exquisite humanæ prudentiæ, lin-
guæ habenas relaxât: sed etiam Eccle-
siastici serui mei, & ij quoquè, qui in
claustris orationi assiduè vacant, quic-
quid orando, & psallendo acquirunt
loquacitate deperdunt. Malunt cum
hominibus vanis, & fragilibus, quàm
cum Vnigenito Dei filio verba facere.
Tota die ædificant, & vna hora ædi-
fium destruunt. O quàm longè rece-
dunt à secreta, & suavi valde discipli-
na mea? Ego per annos triginta filii,
& cum essem Dei verbum, per tres tan-
tummodo annos linguam exercui: &
tamen non omnes serui mei capiunt
verbum istud. Certè hoc exemplo, vs-
que ad

que ad stuporem admirando, deberent erudiri, & erubescere, & digitum superponere ori suo: præsertim cum experientiâ cognouerint, in multiloquio peccatum non deesse, & ex una lingua indomita innumerabiles culpas, inquietudines, distractiones, & discordias prouenire. Profecto qui sapiens corde est, sedebit solitarius, & tacebit, nisi cum charitas mea urgebit illum. Immo & frequenter filebit à bonis, ne fortè lingua, quæ benè cepit, postquam incaluerit, malè concludat, & inestimabilem cordis tranquillitatem verborum tumultu perturbet. Faciles illi, qui non solum prohibent linguam suam à malo, & labia sua, ne loquantur dolum; sed etiam à licitis verbis, propter me, abstinent, & vix in sua causa rogati respōdent. Ego certè, dum ageretur de causa vitæ, ac mortis meæ, interrogatus tacui, ita vt miraretur Præses vehementer. Quapropter mirandum est, seruos meos non rogatos, sine moderatione vlla, loquaces, & vanos esse. Quid sibi vult licentia hæc, qua infelix anima effunditur extra se?

Ille

Ille pretiosus deuotionis seruis tanto labore collectus, quomodo tam facile, ac vanè paucis verbis otiosis dissipatur. Vsquequò serui mei Religiosi sine intellectu erunt, non cōsiderantes, linguam, modicum esse ignem, sed magnam syluam incēdere? Vsquequò pacem cordis, quæ cum verborum licentia cohærere non potest, paruipendēt? Attendite filij, quæ dico, & silentium, quod est iustitiæ ornatus. & monasteriorum decor, studiosissimè colite. Et ego vobiscum intus loquar, & quasi modo genitos infantes, consolationis meæ dulcissimo lacte nutriam: & velut arca clausa noui testamenti, seruabitis Manna suauitatis meæ.

CAP. XVIII.

Hortatur ad modestiam oculorum.

OCVLI filiorum Heuæ depraedati sunt animas eorū: & portæ mortis, per incautum aspectū, apertæ sunt. Vidit mulier lignum visu pulchrum, quod utinam non vidisset. Hæc est origo mortis, quæ in omnes homines pertrāsijt, & aspectū à ligno vitæ diuertit.

Propte-

Propter eam serui mei, qui æternæ vitæ desiderio tenentur, auertunt accuratissimè oculos suos, ne videant mundi vanitatem, quæ stulta corda seducit. Melius est certè, filij mei, oculorum carnalium luce, cum salute animæ, carere; quam spectaculis mundi parùm castis, & pijs, ad æternam mortem vulnerari. Idcirco Iob, fidelissimus amicus meus, pepigit fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de Virgine. Turpes enim cogitationes illum vexassent, nisi Sanctum fœdus cum oculis pepigisset. Claudite, & vos, filij, mortis fenestras, & corda vigilanter custodite. Certè si desideratis delectabilia valde regni mei spectacula videre, formosissima corpora glorificata, & pulcherrimam vrbs sanctæ structuram (cuius ego, ut sapiens architectus, fundamenta in montibus sanctis posui) circumspicere; debetis à mortalium corporum aspectu libenter abstinere. Quin etiam, & propter præsentem internæ lucis claritatem, qua oculi cordis delectantur, immensæ utilitatis, & consolationis est, oculos carnis coercere.

Profe-

Profectò, filij, doctrina hæc dulcissima de oculorum modestia, scholæ meæ propria est. Virginis enim filio oculi in altum surrecti placere non possunt. Atque ideò non frustra Euangelistæ mei notarunt, me oculos in rebus grauioribus subleuare solitum esse: quasi dicerent, me illos non subleuatos habere consueuisse. Et hæc iusta quæri- moniarum causa est, quam habeo aduersum feruos meos imitatores filiarum Sion, quas odiui, eò quòd erecto collo, nutibus oculorum ibant. Etenim si considerarent, quid ipsi de interiori luce deperdant; & quale scandalum proximis opponant; modestiæ honestatem, & decorem studiosius quærent, & inuenirent. Estote, filij, imitatores mei, & honestissimæ matris meæ, & sincero columbarum intuitu, me solum intueri desiderate, accedente- que retributionis tempore, dicam vobis: Respicite iam, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat expectata valdè, & infinitæ consolationis plena redemptio vestra.

CAP.

CAP. XIX.

Hortatur ad diligentiam.

HORA est iam, charissimi filij
 vos de somno surgere, & breues
 dies vitæ, bonis operibus, ante noctem
 implere. Si enim Apostolis meis vi-
 sum est, nouissimam horam esse (in cu-
 ius rei testimonium, significauit ego,
 per Angelum meum, seruo meo Ioan-
 ni, quæ oportet fieri citò) æquum erit
 vos cōsummationi sæculi propinquo-
 res opera multa bona instanter opera-
 ri. Filij huius sæculi in generatione sua
 prudentiores filij lucis sunt: mirum
 enim est, quàm celeriter currant ad
 solatia sua. Instante passionis meæ tē-
 pore, quando sollicitè vigilandum erat,
 dormiebant discipuli mei, sed pes Iu-
 dæ festinabat in dolo, ad effundendum
 innoxium sanguinem filij Dei. Solā sa-
 lutis æternæ causam homines lentè a-
 gunt: in ceteris omnibus causis, sine re-
 quie festinant. Quid est hoc? Quomodo
 mortis instantia, æternæ redemptionis
 amor,

an
 ex
 vi
 et
 re
 vo
 te
 ne
 ho
 ro
 qu
 cu
 ur
 ti
 ve
 re
 m
 ce
 in
 m
 ti
 pe
 or
 ne
 di
 ab

amor, perpetui cruciatus timor, non
extimulant corda vestra, ad currendas
vias duras? Certè si infelices illi, quos
æterna morte iustè damnavi, impetra-
rent à me vnam horam, è multis, quas
vos pro nihilo perditis; tam diligen-
ter, ac vehementer operarentur, vt an-
nos multos peccando consumptos,
hora illa, restaurarent, ne ad inferni
tormenta redirent. Electi quoque mei,
qui exultant in gloria, & lætantur in
cubilibus suis, si modicum horæ spati-
um, ad operandum, & merendum ob-
tinerent, ardentissimè negotiarentur,
vt sempiternam consolationem auge-
rent. Vos ergo, filij, audite disciplinam
meam, estote sapientes, & nolite abij-
cere eam. Tempus breue est: Venit nox,
in qua nemo potest operari. Negotia-
mini igitur, dum venio; & vigilijs, ora-
tionibus, ieiunijs, misericordijs pau-
perum passionum mortificatione, &
omnium virtutum exercitijs, die, ac
nocte, permansuras opes meas cupi-
dissimè cõparate. Ego vos lassos recre-
abo: & recipiam vos plenos bonis ope-
ribus.

ribus, tanquàm comparticipes, & cohæredes infinitæ hæreditatis, & lætitiæ meæ.

CAP. XX.

Hortatur ad magnanimitatem.

SI sciretis, charissimi filij, quàm magna sit domus mea, & ingens locus possessionis meæ, omnes labores, sudores, & martyria sanctorum meorum, exercitia leuia vobis viderentur. Ineffabilia enim sunt præmia, & solatia Iustorum, quæ præparavi in abscondito faciei meæ. Et licet omnia hominis membra verterentur in linguas, frustra laboraret omnis humana eloquentia, tanquàm, qui vase modico totum Oceanum vellet includere. Leuate oculos vestros in montes, & infinitam remunerationem sæpissimè cogitate: vt magna semper operemini. Respici- te amatores mundi, qui terrenos principatus ambiunt, quam liberaliter opes suas effundant, quàm difficiles actus exercent, quàm graues repulsas, dolores, & amaritudines, è calice demoniorum bibant: quæ tamen omnia
æquo

æquo animo ferunt, modò per exiguum tempus regnent. Quare ergo vos, qui mecum sine fine regnaturi estis, manus dissolutas, & genua debilia ad magnos labores, & agones non roboratis? Dixerunt milites Holofernus inimici mei, Iudith pulchritudinem admirantes: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his, meritò pugnare contra eos debeamus? Quomodo igitur, pro dulcissima pulchritudine supernæ Ierusalem, vos ignavi, filij mei, non animosè dimicatis? Parùm magnanimi estis, & nequè me, nequè amoris erga vos mei magnitudinem æstimatis. Nunquid ego vnquam dixi: Possum filios Adæ vna gutta sanguinis redimere, & reconciliare elementissimo Patri meo: nolo ergo totum sanguinem profunderè, tot dolores, & ignominias hominum causa tolerare? Certè sine vllò termino, intrauerunt aquæ vsque ad animam meam; & cum essem infixus in limo profundi, Pater meus omnes fluctus suos induxit super me. Propter vos, filij, ve-

ni in altitudinem maris magni: & tē-
 pestas tribulationum demersit me. Ut
 quid ergo parcē mihi seruire, & non
 potius, quæ retro sunt, obliuiscētes,
 ad anteriora vos extendere certatis?
 Contemnite parua, & mediocria, mi-
 lites mei, & scuto fidei, galeaque salu-
 tis armati, per infamiam, & bonam
 famam, per aduersa, & prospera, à dex-
 tris, & à sinistris, ad magnos honores,
 & coronas immortales dimicāte. Qui
 vicerit, dabo ei sedere mecum in thro-
 no meo: sicut, & ego vici, & sedeo cum
 Altissimo Patre meo.

CAP. XXI.

Hortatur ad orationem.

SI victoriam vitiorum, & passionum
 desideratis, filij mei; si ascensiones
 in corde disponere, & ad cor altum ac-
 cedere optatis corda sursum erigite, &
 orationis studio magnam diei partem
 consecrate. Ego enim diligo portas Si-
 on, vbi exercetur cælestis conuersatio,
 qua nihil est in terris amabilius. Ibi
 spirat suauissima virtutum fragrantia,
 quæ

quæ est sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Ibi flat aura lenis, quæ à mundi, & carnis æstu corda refrigerat. Ibi purissima lux mea sedentes in tenebris exhilarat. Ibi oleum lætitiæ participes meos inungit, & ad luctam, siue militiam vitæ disponit. Ibi repletur adipe anima sponsa mea, & aperuntur labia exultationis, ad laudandum magnum nomen meum. Ibi salit sicut ceruus claudus, & soluitur lingua mutorum, quia scissæ sunt aquæ in deserto, & torrentes in solitudine: & anima, quæ erat arida, vertitur in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. Ibi communico humilibus corde secreta mea, & lacto mansuetos, & pauperculos ipsis vberibus ineffabilis consolationis meæ. Ibi ego impero ventis, & mari, cuius procellis mites corde turbantur, & fit tranquillitas magna, simillima Cælo sereno. Ibi ad præceptum meum omnes bestię sylvæ congregantur, oriente sole, & collocantur in cubilibus suis. Ibi anima videt, & affluit, & miratur, & dilatatur præ magnitudine inestimabilis lætitię meę

Ibi patet fōs domui David amici mei, ut bibant à me fōte viuo intima gaudia mea. Ibi ministratur frumentum electorum, & vinum germinans Virgines, mihi sponso suo, in thalamo meo, castissimè adhærentes. Ibi pluit manna de Cælo ferens secum omne delectamentum, quo casta corda fruuntur. Ibi altaria cordium mihi fumant, & dirigitur ad me oratio pura, quasi sacrificium vespertinum, in odorem suavissimum, quo quiescit ira mea, quæ contra peccatores exardescit. Ibi denique exercetur liberalissimus, & benefacendi cupidissimus amor meus. Discite ergo filij mei, sapientiam hanc omnium bonorum genitricem: & doctrinas hominum, præ huius amore contemnite. Hæc sit prudentia, & pretiosissima eruditio vestra, multis laboribus, & conflictibus comparanda. Abijcite negotia sæculi, pro dulcissima parte otij huius: & quidquid animam ab eo diuertit, (quantum per vos fieri poterit) exhorrescite. Ne sequamini consilia filiorum huius sæculi, qui inter mundi curas innumerabiles, spiritum opprimunt,

munt, ne ad me respirare possit. Væ illis, quam stultè agunt, quàm grauitè sibi nocent, quantis opibus, & solatijs seipso priuant, quàm inhumanè me solum relinquunt. Felices illi, quorum hæreditas melle dulciór conuersatio mea est, & omne opus eorum oratio: Hæc sit, dulcissimi filij, hæreditas vestra: & in abscondito amplectar vos, quasi fidelissimos amicos meos.

CAP. XXII.

Hortatur ad perseuerantiam:

OMNE pietatis studium, ô filij, sine perseuerantia inane est, cum ad æternitatem non proficiat. Propterea, cum essem apud vos, perseuerantiam sepe prædicaui, cum scirem, eos qui mittunt manum ad aratrum, & respiciunt retro, non peruenturos ad coronam. Utinam caperetis verbum hoc, & usquè ad vitæ finem, in vijs iustitiæ ambularetis. Frustra enim benè cæpistis, si in media via deficiatis. Mirum est, quanta sit hominum stultitia, qui cum è seruitute Pharaonis liberati, & per desertum mortalis vitæ, ferè ad por-

ra terræ uiuentium ducti fuerint, labore modico, qui superest, deterrentur, & ad Aegyptum redire constituunt. Quid est hoc? Sic stulti sunt, ut cum spiritu cæperint, carne consummentur? Tanta passi sunt sine causa? O Insensati Adæ filij, quis vos fascinoauit? Currebatis benè ad coronam immortalem, nunc vero alius uestram coronam accipiet. Ablatum est à uobis regnum Dei, ob ingratitudinem & inconstantiam uestram, & dabitur genti facienti dulcissimos fructus eius. Parum laboris supererat, ut ascenderetis in palmam, & colligeretis fructus eius, quibus in æternum uesceremini. Vano consilio seducti estis, & transactos labores eneruatis. Vos ergo, filij, qui puro corde accessistis ad me, & cognouistis rectas uias meas, estote fideles usque ad mortem, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Virum iniustum funibus peccatorum constrictum mala capiant in interitu: vos uero filios meos, qui me sequi cæpistis, morientes sequantur bona opera uestra, & in
osculo

osculo pacis amantissimè claudam e-
go oculos vestros. Citò transit, quod
currit in tempore: modicum est, quod
superuicturi estis. Ego vos protegam,
& dulcissima societate recreabo in
hac molesta nauigatione, donec dedu-
cam vos in portum voluntatis vestræ,
ac meæ. Bonum certamen certate, be-
nè captum cursum consummate: & de
labore fessi, fruemini aura spiritus vi-
talis mei, qui perflat hortos pensiles
suauissimæ Sion, quam dilexi. Aspici-
te à longè amantatem regionis, in quam
ascenditis, circumeuntes terram E-
dom, & ad purissimas Iordanis aquas è
fiti deserti, suspirate. Ego suscipiam
vos fideles seruos meos: & de capite A-
mana, vbi feræ habitant, surgentes hu-
manissimè complectar: & æterno a-
more consolabor. Hęc sit perennis me-
ditatio vestra, suspirijs, & gemitibus
voces turturis imitantibus plena; do-
nec liberati de corpore mortis huius,
quæ per peccatum introiuit, & regna-
uit, gratiæ meæ decorem induti, im-
mortale regnū immēsis diuitijs, & in-

æstimabilibus gaudijs plenum, gloriosa victoria, & infinita lætitia compareris.

CAP. XXIII.

Hortatur ad custodiam, & augmentum virtutum.

CAVETE, filij, ne vulpes parvæ, quæ demoliuntur vineas, proveniunt vinearum vestrarum, quas multo labore coluistis, impediant. Ne contemnatis minima, neque animi remissioni locum detis: habetis enim pretiosissimum thesaurum gratiæ, & virtutum, in vasis fictilibus corporum mortalium: & in vobis ipsis geritis, unde certamina periculosa toleretis. Væ illis, qui cum rubore, ac sudore arduas virtutes, in schola mea compararunt, & quasi de victoria securi dormire incipiunt. Non est consiliū sanum, securè dormire, vbi fures effodiunt, & furantur. Sanius consilium est, quod dederunt pastores illi, qui in nocte natalis mei, erant vigilantes, & custodientes, vigiliis noctis, super gregem suum. Certè mirabile est, homines super greges

greges pecorum vigilare ; & seruos meos nimium super se dormire, quasi in vanum acceperint animam suam. Nolite somno grauari, filij mei, quia in terra inimicorum estis, qui tota die constituunt vobis prælia. Currite velociter, & sic currite, vt comprehendatis. Date animas vestras pro testamento meo, parati potius mori, quàm cælestis gratiæ meæ, & virtutum mearum detrimentum pati. Nonne videtis, gehennæ filios diuitias ita custodire, & augere, vt inter spinas viuentes nunquam sollicitudine careant? Vtinam & vos diuitiarum mearum detrimenta timentes, staretis semper, vt custodes lectuli Salomonis gladium tenentes, ac solliciti propter timores nocturnos. Hæc est pars magna prudentiæ Iustorum, qui postquam iusti facti sunt, diligentissimè vigi-
lant, ne fortè reprobi fiant. Ibi culpam timent, vbi culpa non est: & præ desiderio mei, suspicantur fures, vbi non sunt. Gloria quippe, & diuitiæ in domibus eorum, quarum custodia sollicitudinem generat, receditque somnus ab oculis eorum,

rum, vt olim recessit ab oculis Iacob
charissimi amici mei. Hæc sit, ô filij, æ-
mulatio vestra: cauete, ne extinguatur
in nocte lucerna cordis vestri: Manum-
que vestram mittite ad fortia, & nun-
quam à labore, & fatigatione, pro con-
seruanda cælesti gratia mea, animum
relaxetis. Et ego laborantes adiuuabo,
& replebo operibus bonis, quæ in pace
mea vos morientes sequentur. Et sua-
uissimus spiritus meus dicet iustis
meis, vt iam benè probati, dulcif-
simè requiescant à labo-
ribus suis.



TER-

TERTIA PARS.

QVAE CONTINET

multa consilia ad Chri-
stianam perfectio-
nem compa-
randam.

CAP. I.

HORTATUR IESVS CHRIS-
TUS *ad perfectam omnium affe-
ctuum abnegationem.*



VICVNQVE sub vex-
illo crucis meę militare,
& me paciētem sequi de-
creuistis, inclinate au-
rem vestram in verba æ-
ternæ vitæ meę, & sermones meos in
medio cordis abscondite. Ego veni in
mundum, non pacem mittere, sed gla-
dium: vt separarem homines non so-
lùm à rebus terrenis, quas nimio amo-
re possident, sed etiam à parentibus, &
amicis, & (quod maius est) à pro-
prijs affectibus, & desideriis, quæ
mergunt homines in interitum, & ani-

mas meo sanguine redemptas in æternam seruitutem pertrahunt. Hæc est prudentia iustorum, qui non modò renuntiant omnibus, quæ possident, ut me currentem sequantur; Verùm, & animas proprias oderunt, ut creetur in eis cor mundum, & spiritus rectus inuouetur in visceribus suis. Considerât enim, quid acciderit peccatoribus insensatis, qui nimis amarunt stultas animas suas: qui, sicut oues, in inferno positi sunt, & mors depascet eos. Propter quod fortes facti sunt in bello aduersum semetipsos, ut abnegantes impietatem, & omnia sæcularia desideria sobriè, & piè viuerent in me: & fidei corde, in tempore retributionis mihi dicere possent: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Vos ergo filij, qui vultis in Cælum ascendere de deserto mundi delitijs affluentes, abnegate vos ipsos, & deponentes omne pondus, leuate ad me manus puras, & immaculata corda mihi sacrificate. Neque durum vobis videatur, animam propriam, & omnia mundi bona relinquere, propter me. Licet enim modico

dico

dico tempore tristitiam habeatis; succedet expectata valde lætitia mea, qua gaudebit cor vestrum. Certè omnis disciplina in præsentem quidem, non videtur esse gaudij, sed mæroris: postea tamen viris exercitatis per eam fructum pacatissimum reddet iustitiæ. Ad vespere tenebrarum, mundi demorabitur fletus: & ad clarissimum apparentis gloriæ matutinum lætitia. Ne respiciatis, filij mei, consortium eorum, qui seminant in lachrymis, & in exultatione metent. Relinquire omnia confidenter, & affectus omnes abscindite propter me: & ego vita vestra, anima, & consolatio vestra, & tota vestri laboris merces ero.

C A P. I I.

Monet respondere diuinis inspirationibus.

EGO sto ad ostium cordis, & pulso, cupiens introire, & requiescere in reclinatorio meo, vbi posui delicias meas. Hæc est desiderata valde requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, filij mei, quoniam elegi eam. Vos

discurritis, per vicos, & plateas, quæ-
rentes requiem in terra aliena: & ego
quæro requiem in corde vestro, tan-
quàm in delitiosissimo thalamo meo.
Semper enim in omnibus requiè quæ-
siui, & in hæreditate Domini libenter
morabor, atquè in electis meis altas
radices mittam. Si ergo tenemini vero
desiderio præsentis meæ, ac æternæ sa-
lutis vestræ, aperite mihi pulsanti, &
inpirationibus meis nunquam aures
obturetis. Quid enim boni vobis acci-
dere poterit, si mihi non pateat ianua
domus vestræ, quam cælestibus gaudijs
implebit visitatio mea? Cauete, filij
mei, dum inspiro vobis cælestia deside-
ria, ne surdi, & cæci efficiamini, sicut
illi, quibus per annos quadraginta
proximus fui, dicens: semper hi errant
corde. Illi enim scientiam meam repu-
lerunt: quibus idcirco iuravi in ira
mea: ne introirent in requiem meam.
Vos autem qui me humana carne vesti-
tum, præceptorem suauissimum, & mi-
tissimū habetis, inpirationibus meis
aures castas, & fidelia corda præbete:
nequè lucem meam, quæ filiorum hæ-
reditas

reditas est, extinguite, vel obscurate.
Certè fideles amici mei adeò sollicitè
meis admonitionibus respondere so-
lent; vt si, inter præsentis vitæ negotia,
me intus loquentem, & orandi, vel le-
gendi, vel aliquid pium agendi deside-
rium inspirantem sentiant, statim di-
cant: Hoc signum magni Regis est: ea-
mus, & inquiramus eum, & offeramus
ei, clauso cordis cubiculo, desideria
nostra, quasi virgulam fumi suauiter o-
lentis, ascendentem, ex aromatibus
myrrhæ, & thuris. Hi sunt mihi cha-
rissimi: quia non student hominibus
placere, sed adhærere mihi, & me om-
nibus mundi commoditatibus, & vo-
luptatibus antepone. At illi, qui in-
spiraciones repellunt, vel citò exequi
nolunt, iusto iudicio meo, in dies ma-
gis magisque alienantur à me, & cor-
dis desolationem & obdurationem, in
sue infidelitatis pœnam incurrunt. I-
mitamini, ô filij, Apostolos meos, qui,
statim ac eos vocaui, relictis omnibus,
secuti sunt me: & nullis humanis ra-
tionibus acquieuerunt. Et ego, dum
inuocaueritis me; celeriter exaudiam
vos, &

vos, & è magna tribulatione venientes, ac super niuem sanguine meo dealbatos deducam in æternam requiem meam,

CAP. III.

Monet puritatem intentionis in bonis operibus.

BEATI serui illi, qui in omni opere suo, mouentur sola, & pura intentione placendi mihi. Qui simplicem oculam columbarum habentes, nihil desiderant, vel quærunt præter me. Sed vix mundo, quàm pauci sunt, qui commoditatem suam, vel lucrum, vel gloriam hominum non quærant. Circuite vias Ierusalem, & inquirete, an inueniatis virum facientem fidem, & non quærentem, quæ sua sunt: & propitius ero ei, & laudabunt eum in portis opera eius. Verùm scio huiusmodi viros rarissimè inueniri: & non solùm plebeios ignorantes viam Domini, sed optimates etiam bona opera, quæ faciunt, oculo nequam malæ intentionis corrumpere. Gloriantur ipsi etiam Ecclesiastici, qui videntur

rectè

rectè agere, se propter Ecclesiæ spon-
sæ meæ bonum in suis prælationibus,
& dignitatibus laborare: & tamen
redditus dignitatum, & honores ho-
minum potius, quàm gloriam meam
requirunt; testimonium ipsis perhi-
bente conscientia ipsorum, & cogita-
tionibus, cum remorsu animæ, inui-
cem accusantibus, & defendentibus.
Quin etiam, quod magis dolendum est
ipsi Religiosi, qui mundum contem-
pisse videntur, in suis exercitijs legen-
di, prædicandi, & consulendi, non tam
mihi, quam hominibus placere stu-
dent. In veritate dico vobis, quia Vir-
gines fatuæ sunt: & dum laudes huma-
nas expetunt, oleum lætitiæ, quam ge-
nerat bona conscientia, in vasis cordi-
um suorum habere nolunt. Quid est
hoc? Vbi est fructus pretiosissimi san-
guinis mei? Quomodo obscuratum est
aurum antiquæ charitatis, qua serui
mei, in Ecclesia primitiua, flagrabant:
qui per Episcopatus, & officium præ-
dicationis, non ad diuitias, & honores,
sed ad tormenta, & persecutiones,
propter me currebant? Reuertimini,
filij

filij mei, ad primam charitatem, & o-
culum intentionis inungite callurio
sanguinis mei; Vt in omnibus oneri-
bus, & honoribus, nihil, nisi gloriam
meam, requiratis. Et ego qui synceri-
tate cordis delector, remunerabo la-
bores mei causa susceptos: & sicut in-
corrupta intentione, confessi estis me
coram hominibus, ita ego confitebor
vos coram Altissimo Patre meo.

C A P. IV.

*Hortatur ad resignationem in Dei
beneplacitum.*

NIHIL est, filij charissimi, quod
maiores cordis pacem generet,
quam perfecta resignatio in benepla-
citur meum. Si enim in omni aduersi-
tate, & prosperitate cor hominis in
ijs, quæ facio, sibi complaceat; nulla ei
nocebit aduersitas, quia nulla ei domi-
nabitur iniquitas. Immo hauriet a quas
in gaudio, à me fonte viuo, & amantis-
simo saluatore suo: quia siue valeat, si-
ue ægrotet, siue laudetur siue vitupere-
tur, lætabitur in salutari suo, qui facit
omnia, secundum consilium rectissi-

ma vo-

meæ voluntatis suæ. Hæc est sapientia viri iusti, quem non contristabit, quicquid acciderit ei: gaudet enim gaudio magno valdè, cum omnia ei eueniant iuxta desiderium suum; quod semper cohæret, cum dispositione prouidentia meæ. Utinam mundi sapientes, qui me condemnant, ut ipsi iustificentur, discerent prudentiam hanc, quæ non inuenitur in terra suauiter viuentium. Non adæquabitur ei topazius de Aethiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur. Non lucebit aurum coram ea, nec appendetur argentum in comparatione eius. Inæstimabilis enim est perfecta resignatio cordis, quid ego velim semper attendentis, atq; in eo ipso dulcissimè requiescentis. Dolent principes terrarum super morte charorū, nec vllā consolationē admittere volūt: & iustus lætatur morte primogeniti sui, quia ex mea voluntate succedit. Vos ergo filij, qui desideratis frui pace filiorum Dei, in omni euetu voluntatē meā spectate, & confidēter acquiescite: & fidelissimi serui mei Iob verba celebrate: Sicut Domino placuit

placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Et ego paternam, & maternam curam vestri geram: circumducam vos per mundi desertum: & ero in umbraculum ab æstu: totaque sæculi huius nocte ero vobis in clarissima illuminatione ignis. Si perfectè in meo beneplacito quiescatis, omnis substantia domus meæ vestra erit. Meus est dies, & mea est nox, ego fabricatus sum auroram, & solem, ego feci omnes terminos terræ, æstatem, & ver ego plasmaui ea. A solis ortu, & occasu, ab Aquilone, & mari, omnia subiacent imperio meo: nequè est qui possit resistere voluntati meæ. Quocirca si voluntas vestra una, & eadem cum voluntate mea sit, omnia vestra erunt, quia omnia obtemperabunt voluntati vestræ. Et peracto vitæ cursu, in signum regni dignitatis, sedebitis cum senatoribus terræ: & inenarrabili lætitia exultantes adhærebitis, strictissimo complexu, cordi meo, ad cuius proportionem formati estis.

CAP. V.

Hortatur ad primam diei partem orationi assignandam.

AVDITE filij, quæ loquor, con-
crescit enim in pluuia dulcissi-
ma doctrina mea. Omnia primogeni-
ta mea sunt: & proinde illa mihi sacri-
ficare, primitiasque omnes in altari-
bus cordium vestrorum intima grati-
tudine, mihi offerre debetis. Certè qui
manè vigilauerint ad me, pium, ac sua-
uem inuenient me. Propterea iustus
cor suum tradidit, vt vigilet ad me di-
luculo, antequam negotia, & sollici-
tudines mundi occupent sensus eius,
Scit enim quanti ponderis sit, primas
cogitationes, & prima desideria mihi
consecrare, & omnem fiduciam in me
ponere. Sic fidissimus seruus meus Da-
uid, magna sollicitudine, ante curas, &
negotia regni, me quærebat, quod syn-
cero corde cantauit aiens: Præuen-
runt oculi mei ad te diluculo: vt medi-
tarer eloquia tua. Beati, quos à somno
excitat sollicitudo mei, vt in matuti-
nis me-

nis meditentur in me: vt omnis eorum oratio, & operatio à me semper incipiat, & per me cæpta finiatur. Horum certè animæ in manu mea sunt: & quia primùm quærunt regnum Dei, & iustitiam eius, non tanget illos tormentum malitiæ, & mors animæ fugiet ab eis. Ego enim virtus, & vita eorum, odoratus suauissimum odorem holocausti matutini, defendam illos, & in processu diei, dirigam opera eorum, sicut ipsi summo mane direxerunt ad me corda, & corpora sua. Illos verò, qui mane surgunt ad ebrietatem sectandam, & sæcularia negotia sine timore meo gerenda, patiar vexari, & per ipsa, quæ agunt, excruciami: vt idola mundi, quæ colunt, surgant, & opitulentur eis, & in necessitate eos protegant. Væ illis, quàm grauius errant non præuenientes faciem meam in laude, vt protegantur auxilio meo. Si ascenderit in altitudinē nubium, inde detraham eos: quia more gentilium, nõ proposuerunt me adiutorem suum: sed sperauerunt in diuitijs, vel astutijs suis; & præualere tentarunt, in vanissima vanitate sua.

Vos

Vos ergo filij, ante ortum solis, & ante strepitum filiorum huius sæculi, in thuribus cordium, amoris igne flagrantium, incensum orationis ponite, & adolete. Et ego vobis in silentio ad me suspirantibus præsto ero: imprimamque cælestia desideria visceribus vestris, quæ præ magnitudine consolationis, anhelabunt ad æterna gaudia, quæ vobis præparavi in primogenita ciuitate mea.

CAP. VI.

Hortatur ad solitudinem amandam.

SI scirent homines, quàm sit amabilis solitudo, quæ à iustis quæritur, vt gaudeant ibi mecum libertate filiorum Dei, ipsi etiam negotiosi filij sæculi, certis temporibus, iugum mundi proijcerent, & speluncas montium, ad quærendâ faciem meâ, sollicitè peterent. Inæstimabilis enim est dulcedo cōversationis, & sapiētiae meę, quâ nemo principū huius sæculi cognouit. Nō enim potest inter tumultus negotiatorū, absconditæ suauitatis gustus inueniri. Propter hoc illi pauci sapientes antiqui: quibus dignus non erat mundus,

du, extra turbas requisierunt me: & in remotissimis desertis dulcissimos spiritus mei fructus comederunt. Inter feras, & inter scopulos facilius, quam in medijs vrbibus inuenitur sapientia mea. Ibi ad præceptum meum eleuatur anima, sicut Aquila; & in arduis ponit nidum suum, atque in præruptis silicibus commoratur. Ibi contemplatur escam melle dulciorem secretæ communicationis meæ: & affectus eius, quasi Aquilarum pulli lambunt sanguinem meum. Ibi ego loquor ad cor Ierusalem: dicoque verbum absconditum à mundi prudentibus: & quasi furtiuè suscipit auris cordis venas subtilissimi susurij mei. Ibi ob silentij, & solitudinis opportunitatem, solus ego traho omnes vires animæ post me in funibus noui Adam, & in vinculis dulcissimæ charitatis. Vos ergo filij, exite de Vr Chaldæorum, & Niniuem ciuitatem grandem, certis saltem diebus, relinquite, ac remotum aliquem locum, vbi vobis occurram, eligite. Ne sequamini politica consilia, quibus certissime auertentur corda vestra, & obdura-

obdurabuntur, ne placeat illis conuersatio mea. Videte quid egerint sancti mei: qui etiam curam animarum gerentes, (vt sine detrimento animarum suarum, alios saluos facerent) populos interdum alijs curandos, per dies aliquot committebant, mihi que soli, totis viribus in solitudine vacabant: & fortiores ad laborem recurrebant. Fugite seruitutem Aegypti, & super montes Bethel, ad contemplandam cæli serenitatem ascendite. Crescite iam, & manducabitis cibum grandium, & tanquam fideles amicos me in deserto sequentes, aqua purissima, & suauissimis palmæ fructibus alam,

CAP. VII.

Monet recursum ad Deum, contra inconstantiam.

FILII, accedentes ad studium sapientiaæ meæ, scitote inconstantiam periculosam infirmitatem esse. Trahitur hoc malum hæreditate Adæ patris vestri, qui per peccatum inconstans factus est. Hæc est conditio hominis, qui egreditur, & conteritur, & fugit ve-

F

fugit ve-

fugit velut umbra, nunquamque in eodem statu permanet. Væ peccatori, qui recessit à me, vera fortitudine, & firmamento suo, & ad horas singulas consilia mutat. Peccatum peccauit Ierusalem: propterea instabilis facta est. Migravit à me, ferens secum inconstantiam cordis, & multitudinem seruitutis: & cum regna multa peragrasset, non inuenit requiem. Væ columbæ, quæ ab arca recedit: quia in diluuiò aquarum multarum, non inueniet, ubi possit requiescere pes eius. Sæpe serui mei, contra regulas prudentiæ iustorum, sana consilia, quæ prius elegerant relinquentes, peccant aberrantes à meliori proposito, quod inspirauerat illis clementissimus Pater meus. Citò fecerunt, obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius. Et hæc est ratio, propter quam, parùm in schola mea proficiunt, quotidie incipientes ædificare, nec valentes consummare. Doleo vicem illorum, & vellem firmiter durarent in salutari consilio meo. Si ergo desideratis, filij, malum hoc grande vitare, recurrite ad me, totisque.

que.

que visceribus inconstantia remedium implorate. Ego enim vici mundum, & veni curare instabilitatem eius. Neque vos frangat experientia huius mali, quo anima diu affecta, quasi luna mutatur, & ad singulos ventos, instar fluctuum maris commouetur. Ego enim congrego, sicut in vtre, aquas maris, & pono in thesauris abyssos. Et quando mihi placet, voco ad me discipulos meos, ut ambulent super aquas, tanquam super solidissimam petram. Constantes estote, & videbitis auxilium meum presentissimum super vos: dummodo fidelissime statuatis, consilia à me inspirata in posterum sequi. Sinite iam in opiniones varias ferri, & propositum mihi placendi, quod arripuistis, usque ad mortem sustinete. Et ego caelesti fortitudine vobis adero, & firmabo super vos misericordes oculos meos.

Hortatur ad sacramenti penitentie usum.

SVMMVM malorum, filij charissimi, peccatum est, quod animæ vitā extinguit. Si ergo peccatis, caute ne regnet in vobis peccatum, & festinate conuerti ad me, currentes ad balneum pretiosissimi sanguinis mei. Ne probeatis consilia eorum, qui latantur, cum male fecerint, & exultāt in rebus pessimis, nec remedium penitentiæ requirunt. Nimiū stulti, & audaces sunt, qui Deum ad iracundiam prouocant, & æternæ pænæ reatum incurrerunt: & tamen, nihil de futuro cogitantes, comedunt, bibunt, & dormiunt, & ducunt in bonis dies suos. Mirū est quomodo subitanam, & improuisam mortem non timent, qui fecerunt sibi Deum inimicum. Quomodo non timent, ne sicut viuentes, sic in ira absorbeat eos? Horrendum est enim, incidere in manus Dei viuentis. Certè hi fatui, præsentis vitæ amore capti, oderunt animas suas, quarum remedium

medium non requirunt. Vos igitur filij, si ex humana conditione peccaueritis, ne differatis pœnitentiam: sed planctum, & tristitiam, quæ salutem, secundum Deum, stabilem operatur, assumite. Leprosi si estis, & morti proximi, abstergite lepram balneo sanguinis mei, per sacramenti pœnitentiæ canalem decurrentis: & caro vestra restituetur, sicut caro pueri paruuli: & recuperata candida gratiæ veste numerabo vos inter dilectissimos filios meos. Nec tædeat vos humilis confessionis, quæ in animo contrito, detegitis peccata vestra: breui enim humiliatiōne, & verecundia æternam vitam cōparabitis. Certè modicum est, quod à vobis postulo, si consideretis bona, quæ ibi proueniunt. Grauiorem profectò pœnitentiam ego pro vobis egi, quàm vos ipsi: Si enim appenderentur in statera peccata vestra, & calamitas, quam ego vestri causa pertuli; quasi arena maris, hæc grauior appareret. Prope- rate ergo ad remedium vestrum, & ego suscipiam vos. Verba confessionis humilia, & feruentia proferte, qualia

seruus meus Dauid de peccato admonitus protulit, dicens ex intimis præcordijs, Peccaui. Et ego transferam à vobis peccata vestra: & effundam super vos aquam mundam, atque mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et propter conscientie testimonium luctus vester vertetur in gaudium: secundum multitudinem quippe dolorum vestrorum, quibus afflixistis corda vestra, intimæ cõsolationes meæ latificabunt animas vestras.

CAP. IX.

Hortatur ad sacram communionem.

EGO æterna sapientia ædificauim mihi domum humanitatis meæ, & vt facerem conuiuium pinguium medullatorum, miscui vinum pretiosissimi sanguinis mei, & posui mēsam, ita vt panis conuiuiarum esset purissima caro mea. Et postquam instruxi lautissimum conuiuium, non quieui: sed misi ad plateas, & mœnia ciuitatis, seruos meos, & inspirationes meas, vt cordibus hominum loquerentur, & dicerent: Venite, comedite panem meum, &

um, & bibite vinum, quod miscui vobis. Nunc autem pauci valdè sunt, qui vescantur vitalissimo pane meo, quasi omnem saporem suauitatis, non haberet. Viæ Sion lugent, eò quòd non sit, qui veniat ad solemnitatem meam, qua corda casta dilatantur. O quàm stulti sunt Adq̃ filij, qui per escam mortui sunt, & per escam viuificari nolūt. Quid est hoc? Quid optabilius, & suavius inuenire possunt, qui delectamenta mundi requirunt? Vbi est sincera fides, & purus amor, cuius nutrimentum, & fomentum, panis de Cælo missus, factus est? Certè facies Christiani populi exusta videtur, quasi non esset triticum, & vinum: & pellis eius, consumpta carne, ossibus siccis adhæsit. Ventum est enim ad calamitatem magnam, eò quòd plurimi filij Ecclesiæ sponsæ meæ, semel tantum in anno, panem vitæ comedunt: & libertatis genus existimant, ad frequentem communionem non accedere. O stulti, & tardi corde ad credendum, & diligendum me? Nonne oportebat, quasi graue mortis supplicium

Cium timere, non ampliùs, quàm semel
in anno, pane viuo refici? Quare ergo
supplicium hoc ipsi Adæ filij sponte
sua sibi sumunt, & fame mortalissima
ficcantur? Non est sanum consilium
hoc: ingratiſſimo, & durissimo corde
digna est alienatio hæc. Vos ergo filij,
qui desideratis viuere propter me, fre-
quenter manducate me. Aperite mihi
penetralia cordis vestri, & intra visce-
ra vestra meæ dulcedinis auida, recon-
dite me. Dilatate os vestrum, & imple-
bo illud: & extensis desideriorum bra-
chijs amplectimini me. Certè tantus
esse deberet dulcissimi panis amor, vt
nequè diebus, nequè noctibus, ab alta-
ri, vbi seruatur sacramentum meum,
recederetis: Solaque ineuitabilis ne-
cessitas vos ab eo loco violenter ab-
straheret. Recedite ab eis, qui me dere-
linquunt, & recedentes à me, non in
cælo, sed in terra scribuntur, quorum
alius discedit in villam suam, alius du-
cit vxorem, alius vadit ad Babylo-
nicam negotiationem suam. Imitamini
filios primitiux Ecclesiæ meæ vnani-
mes in domo, & sæpissimè communi-
cantes

cantes in fractione panis, quo viuitur,
 & aperitur via ad immortalem vitam
 meam. Hæc sit negotiatio vestra: hæc
 sit sapientia, & fortitudo vestra: hæc sit
 delectabilissima exercitatio vestra.
 Accedite ad me, & inæstimabilem dul-
 cedinem meam in ipso fonte gustate,
 & eritis leonibus fortiores, aquilis
 velociores, & facies vestra splendebit
 sicut sol. Et ego vobiscum habitabo: &
 splendoribus æternis, ac infinita læti-
 tia, futuræ gloriæ prænuntia, implebo
 viscera vestra.

CAP. X.

Hortatur ad officia misericordie.

INDVIMINI filij mei, viscera mi-
 sericordiæ, & afflictis compati, &
 succurrere discite. Hæc est requies
 mea, vt per vos lassæ manus roboren-
 tur, & genua debilia confortentur.
 Pauperculis, & contritis corde, tan-
 quam mihi ipsi subuenite: & ego ipse,
 qui pauper fui in terra, quam dedi fi-
 lijs hominum, retribuam ijs, qui in
 persona egenorum, honorauerunt me.
 Facite vobis amicos de substantijs ve-
 stris, vt

stris, vt recipiant vos in æterna tabernacula. Si ad mensam meam, in amplissimo regno meo, cum principibus, sedere vultis; ne comedatis buccellam vestram soli: & inopes de velleribus ouium vestrarum calefiant. Benedictio perituri veniat super vos, & oculos viduę expectare, ne finatis. Et ego odorabor misericordiam magis, quàm interpestium sacrificium: & pro misericordijs pauperum, respondebit vobis iustitia redemptionis meę. Attendite voces miserorum, quibus emollitur cor meum, & hospitalia, domosque afflictorum, fame, & egestate pereuntium, cum muneribus visitate. Væ crudelibus, quorum promptuaria sunt plena, eructantia ex hoc in illud & è fenestris elaboratis, sine compassionis sensu, prospiciunt nudos, & fame, ac frigore gementes filios meos. Viscera crudelia odiuit anima mea. Fugite crudelitatem: & super afflictos flete, & amplectimini pretiosa valde pignora mea. Accurrite velociter, & mittite eleemosynam in sinum pauperis: & ipsa subtilissi-

tilissimis vocibus, orabit pro vobis: & reportabit lætum nuntium firmissimæ spei, & cælestis lætitiæ meæ. Beati illi, à quorum conspectu pauperes nunquã desolati recedunt. Beati qui gemitus egenorum nunquam repellunt, nec importunitate vincuntur. Beati qui miserando delectantur, quoniam mercedem magnam, mensuramque bonam, & confertam, & coagitatam recipient; & cum infinita consolatione, intrabunt in æternum gaudium Clementissimi Patris mei.

CAP. XI.

Hortatur ad tolerantiam, & remissionem Iniuriarum.

SI verè sapientes, ac beati esse desideratis, filij charissimi, scitote vos fore beatos, cum homines vobis maledixerint, & exprobrauerint, & dixerint omne malum aduersum vos, si patienter sustineatis, non reddentes malum pro malo, sed vincentes in bono malum. Hæc est altior mundo eruditio

F 6

mea

mea, quam docui discipulos meos, factus opprobrium hominum, & postrema abiectio plebis. Hæc est prudentia Iustorum sæpè notata in dulcissimo testamento, & Euangelio meo. Cùm enim esse honore infinito dignus (quasi vnigenitus à Patre, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius) versus sum in parabolam ciuitatis regiæ, & sacerdotalis, quam dilexi. Veste alba, ad contemptum, indutus fui, & circumdatus purpureo vestimento, tenens sceptrum, arundinem, & coronam dolore, & irrisione plenam. Descendi ad postremam vilitatem, & abyssi operuerunt me. Quis hic cognosceret filium Dei Altissimi, inter impropria innumera-bilia, quæ ceciderunt super me? Scriptum est: Vidimus eum, & non erat ei aspectus, nequè decor, vnde nec reputauimus eum. Quid hic dicam de ignominiosa comparatione Barrabæ, cum Dei verbo, per quod facta sunt omnia? Quomodo optimates sanctæ Ciuitatis præposuerunt hominem seditiosum, latronem, & homicidam, Regi, Redemptori, & Deo suo? Sed nequè hic oppro-

opprobria mea cessauerunt: adhuc enim morienti caput agitantes insultabant, vt saturatus opprobriis interirem. Et tamen in omnibus his irrisionibus, quibus aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, non me vlcisci cogitauit, sed cor mitissimum exhibuit, & infiniti amoris ostensione pro irrisoribus sanguinem meum, & supremas intercessionis voces ad Patrem misit. Hoc est exemplar, quod imitari debetis, filij, vt iniurias patienter feratis, & remittatis vnusquisque fratri suo, de cordibus vestris. Bibite mecum calicem improprij datum à me vobis in mensura: & opiniones hominum pro nihilo ducite. Quid interest, si vani homines malè de vobis sentiant, aut loquantur? Nunquid propterea delebo vos de libro vitæ, & honoribus æternis expoliabo? Si hominum contemptum mecum hilari vultu feratis, filij mei, nomen vestrum requiratur à generatione in generationem, laudesq; vestras suauissimè pronuntiabit Ecclesia. Et ego in regeneratione, cum venero in Maiestate, celebrabo clarissimas victorias vestras. CAP.

Monet patientiam internæ desolationis.

SUPER flumina Babylonis, in captiuitate dura, longè à dulcissima Ierusalem, ciuitate vestra, sedetis, filij mei. Quocirca ipsa exilij vestri ratio postulat, vt internas desolationes patientiamini suspirantes ad libertatem filiorum Dei, qui iam lætantur in Ecclesia magna, quæ sursum est. Nequè rationi consonum esset, cælestis patriæ privilegia in terræ incolatu, habere velle. Propter quod, Iusti mei, quos ego in charitate perpetua dilexi, quãdiu mortali vita viuunt, alternis consolationibus, & desolationibus exercentur, vt multiplices coronas acquirant. Certè Paulus seruus meus, non erat semper vt Benjamin adolescentulus in mentis excessu, vt in tertio Cælo audiret arcana verba, & potaretur torrente voluptatis meæ: Sed frequenter mortificabatur tota die, æstimatus sicut ovis occisionis, grauatus supra virtutem, ita vt cæderet eum etiam viuere. Hæc est vicis-

vicissitudo electorum, qui nunc ascen-
dunt vsquè ad Cælos, nunc descendunt
vsquè ad abyssos, & anima eorum de-
solatione tabescit. Ex quo apparet,
quàm malè de me loquantur aliqui
serui mei, qui statim ac ariditate vex-
antur, omnem patientiam abijciunt, &
murmurant aduersum me Nonne om-
nia tempus habèt, & diuersum est tem-
pus lætitiæ à tempore luctus? Quem e-
lectorum meorum non exercui, vt vi-
derem, an puro corde sequeretur me?
Quoties distuli, & probaui David a-
micum meum, factum ad exemplar
cordis mei? Mirabile est seruos meos,
qui semel gustarunt suauitatem meam,
tempore derelictionis non lætari, &
exultare in me memores vberum meo-
rum super vinum. Absit à vobis, ô filij,
deiectio, & infidelitas hæc, ne sitis è
numero illorum, qui confitentur
mihi tantummodo, cùm benefacio
eis: sed intima gratitudine, tam
desolationem, quam consolatio-
nem, numerate inter magna bene-
ficia mea: & tam nocte, quàm die
cantate inæstimabiles misericordias
meas.

meas. Ego noui quid expediat vobis: nunc vos reficiam ad duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmas in Elim, nunc inter deserti arenas, vos siti-
re patiar, vt quærat, & diligatis me. Probabo vos filios meos, & examina-
bo, sicut examinatur argentum, ex quo formantur vasa electionis, ad ministe-
rium templi mei. Et postquam vos, modico tempore probauero, recorda-
bor vestri, miserans adolescentiam vestram, & laudans fidem & charita-
tem desponsationis vestræ: quia fide-
lissimè secuti estis me in deserto aridi-
tatis, in terra, quæ non seminatur.

CAP. XIII.

*Docet diuersos motus nature, &
gratia.*

CONSIDERATE vos ipsos, fi-
lij mei, qui, quasi Rebecca, duos
populos bellantes in utero vno porta-
tis: vt animales affectus spiritui subij-
ciantes vocemini, & sitis pacifici filij
Dei. Natura quærit exaltari, &ambu-
lare, sicut vanæ filia Sion extento col-
lo; ad ostensionem vanitatis suæ. Gra-
tia quæ;

tia quærit humiliari sub potenti manu
 Dei, & hominibus vilis apparere. Na-
 tura cupit diuitias, & commoditates,
 vt inueniat consolationem. Gratia cu-
 pit inopiam, & incommoda, reuens
 in hoc mundo consolari. Natura quæ-
 rit occasiones vanè, & superfluè lo-
 quendi, vt hominibus placeat. Gratia
 quærit occasiones tacendi, vt soli Deo
 probetur. Natura desiderat familia-
 ritatem, & conuersationem homi-
 num. Gratia desiderat solitudinem, &
 absconditam communicationem me-
 am. Natura optat curiosa, & noua sem-
 per scire, ac inuenire. Gratia optat
 simplicem, & castam eruditionem me-
 am. Natura appetit dulcia, & lauta cõ-
 niuia. Gratia requirit vilia pauperum
 alimenta. Natura cupit diù viuere:
 Gratia putat lucrum, citò mori. Natu-
 ra odit psalmodiam, vigiliam, & ora-
 tionem: Gratia lætatur Ecclesiæ cantu,
 nocturnis suspiriis, & orationibus. Ec-
 ce filij, quàm longè discrepant natura,
 & gratia. Certè sicut exaltantur Cæli à
 terra, sic exaltantur viæ meæ à vijs ve-
 stris. Vos ergo, si desideratis eò ascen-
 dere,

dere, quò ascendit diuina gratia mea, vt fons aquæ salientis in vitam æternam, motus naturæ corruptæ reprimite, & legem spiritus mei purissimo corde seruate. Exercete gladium spiritus, quod est verbum Dei, & animales affectus viriliter resocate. Estote filij columbæ de argentatâ, cuius præmia, posteriore tempore ventura, sunt in pallore auri, quo gratiæ merita in regno meo remunerantur. Recedite ab ædificatoribus Babel, cuius culmen numquam pertinet in Cælum. Ego enim descendam, vt videam ciuitatem, & turrin, quam ædificant filij Adam, naturæ motibus incitati: & confundam linguas, & cogitationes eorum oppositas mansuetudini meæ. Vacate potiùs, & sine strepitu malleorum, ædificate taciti ruinas Ierusalem, quas per gratiam meam, implere desidero. Discernite in vobis ipsis, quid gratia suggerat contra naturâ, quasi exploratores vigiles in turri Libani, quæ respicit cõtra Damascũ, Urbẽ inimicã, a me Ciuitatis meæ. Et ego vos instruã in uicta fortitudine militiæ meæ; & habebõ inter dulcissimos filios meos. CAP.

CAP. XIV.

*Monet studium, & amorem sacrae
scripturae.*

DOLEO vicem sapientum mundi,
ô filij mei, quia tanquam multa
febre phrenetici, vt sitim sciendi ex-
pleant, plurimas hominum doctrinas
cum labore, & anxietate discunt, &
sanctos, castosque libros meos, solatio
habere nolunt. Colūt terram sterilem
spinas, & tribulos germinantem, vnde
alienatio mentis, & stimuli conscien-
tiæ nascuntur, & paradisum Eden, vbi
crescit arbor scientiæ boni, & mali, &
lignum vitæ confurgit, suauissima cul-
tura operari, & custodire non curant.
Quid sibi vult amentia hæc? Quid quæ-
runt imitatores Cain profugi, & vagi
in terra aliena? Currunt, atque discur-
runt, per humanas disciplinas, & e-
uoluunt multa volumina, in quibus
nulla fit mentio mei, quasi non audie-
rint Iesum Christum Dei virtutem,
& sapientiam esse, & scriptura san-
cta spiritum vitæ contineri. Mirum
est hoc,

est hoc, homines christianos, qui nouerunt, ubi sapientia inueniatur, & quis sit locus intelligentiæ, scholam meam deserere, quam Reges, & Prophetae cupierunt. Vos autem filij, qui de spiritu vitali meo viuere, & tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, fructum in tempore suo reddere desideratis, mihi corde legite, & meditamini fidelia testimonia mea; quorum declaratio intellectum dat paruulis, & simplicibus, cum quibus est secreta sermocinatio mea. Querite suppliciter, & inuenietis: pulsate constanter, & aperietur vobis sensus ad capienda melle dulciora, & mundo altiora eloquia mea. Postulate in fide, nihil hesitantes de infinita bonitate, & suauitate mea. Clamate ad me, & exaudiam vos, & ostendam vobis grandia, & firma, quæ ignoratis; replebitque scientia mea pectora vestra; Et apparebit vobis formosissima lux è Cælo, qua suspendemini admirantes altissimam sapientiam castitate, & simplicitate sermonis mei velatam, vt mundis corde, & humilibus reueletur. Ingredie-
mini

mini in absconditos sensus spiritus mei, qui scrutatur profunda Dei: & egrediemini pinguiore, quàm antea, à pascuis dulcissimæ sapientiæ; quam è puteo alto mei cordis haurietis.

CAP. XV.

Hortatur ad querendum magistrum vitæ spiritualis.

NE innitamini prudentiæ vestræ filij, quamuis multa didiceritis: Sed imitamini sponsam meam innixam super dilectum suum. Multos seduxit nimia æstimatio sui, ita vt altum saperent, nec dignarentur senum, & expertorum iudicium sequi. Iusti verò, & mites corde nihil sibi fidentes, multa sollicitudine quærunť magistros, non prurientes auribus, sed qui vel corripiant, & increpent in misericordia, vel instruant in spiritu lenitatis, iuxta regulas absconditæ sapientiæ meæ, quam omnes de se præsumentes ignorant. Propter hoc filij, qui erratis ab utero, ne placeatis vobis ipsis, in ea scientia, quam in scholis fortasse comparastis: sed statim, ac mihi seruire incipitis,

cipitis, existimate vos indigere, vt doceamini, quæ sint prima elementa exordij sermonum Dei: & in hac sententia perseuerate. Opinetur alij, quod volent, & se sapientes esse confidant: Vos autem propriæ cognitioni studentes recordamini patris vestri primi Adam, qui cum in honore esset, non intellexit, & ad secundum Adam, qui est Dei virtus, & sapientia, humiliter recurrite. Et ego per seruos meos, quos illuminavi splendore sapientiæ meæ, docebo vos viam prudentiæ, vt super omnes mundi doctores intelligatis. Ostendam vobis, vbi cubem in meridie: ne vagemini post greges sodaliũ meorum, qui personam meam fingunt, sed non mores meos repræsentant. Deducã vos per vias rectas, & à longè ostendã vobis regnum Altissimi Patris mei: vt sciatis à viæ principio, quo dirigenda sint primogenita desideria vestra. Non relinquã hominẽ nocere vobis, sub salutari vmbra alarum mearum, per desertũ vitæ mortalis, ambulantibus: & ero vobis me ductorem sequentibus, sicut Aquila prouocans ad volandum pullos

pullos suos, & super eos volitans. Hæc est lex fidelitatis meæ, vt nunquam deferam humiles corde, qui voluntatem meam de seruatorum meorū ore requirunt: & eo ipso, quòd sibi diffidentes alieno iudicio subduntur, faciliùs, & breuiùs eos ad perfectionem christianam inæstimabili lucro, & intima cõsolatione perduçam. Hanc igitur instructionem meam filij, studiosissimè arripite, & suauissimæ disciplinæ meæ honestatem, & securitatem amate.

CAP XVI.

*Ostendit discrimen vitæ Iustorum,
& impiorum.*

EGO quos amo, castigo, & tanquàm aurū in fornace tribulationis probō. Vasa enim electionis sunt, quæ igne examinantur. Respicite seruos meos, quibus dedi potum in lachrymis in mensura, & videbitis illos nouissimos tanquàm morti destinatos, è quibus alij ludibria, & verbera experti, alij vincula, & carceres passi, alij per medium secti, & in occisione

cisione gladij mortui sunt. Alij fugientes de ciuitate in ciuitatem, alij in solitudinibus errantes, alij in maris insulis absconditi, ostenderunt se peregrinos esse super terram, vt hæreditatem filiorum Dei in Cælo possiderent. Quòd si ego in rerum non reliqui virgam peccatorum super sortem iustorum, ne electi mei tribulationis magnitudine superati, extenderent ad iniquitatem manus suas; non ideò putare debetis, me nolle electos meos laboribus, & angustiis exerceri. Stulta enim cogitatio est hæc: nequè decet infinitam bonitatem meam, seruos meos dilectissimos tot coronis priuare, & gloriam meam diminuere. Certè quòd chariores mihi sunt, eò grauius eos tentari permitto, & velut iratus repello, sicut repuli Israel seruum meum, semen Abraham amici mei. Quod adeò verum est, vt non solùm eos tentari sinam, sed & ego tentem eos, vt virtus tentata resplédeat & respódeat victoribus meis cras iustitia mea. Hæc est nota iustorum: vt ducant vitam amaritudine plenam, & inebrientur ab-

synthio,

synthio, qui bibituri sunt vinum dulcissimum in regno Patris mei. Peccatorum verò vita còtraria est. Ipsi enim, quorum spes in terra posita est, in labore iutorum hominum non sunt, & cum hominibus piis non flagellantur. Non est ruina maceriæ, nequè transitus: nequè clamor dolentium in domibus eorum. Oves eorum fetosæ, abundantes in partibus suis: boues eorum crassæ. Omnia eis ad nutum succedere videntur, & vana lætitia filij eorum exultant. Hæc est pars impiorum, qui servantur ad pœnam. Hæc sunt vasa iræ apta ad interitum, quæ sustineo in multa patientia: vt ostendam diuitias gloriæ meæ, in vasa misericordiæ, quæ pater meus præparauit in gloriam. Propter quod moneo vos filij mei, vt gloriemini in tribulationibus, tanquam in salutis æternæ signis, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia verò spem, spes autem adoptionis filiorum Dei nõ confundit, sed exhilarat cõscientiam, & generat fortitudinem ad viam mandatorum, cum exultatione currédã. Currite ergo filij

G per

per dolores, & sudores: vt labores manuum vestrarum suauissimo sapore plenos, in regno meo manducetis.

CAP. XVII.

Describit mortem iusti.

ECCE quomodo moritur iustus, & nemo considerat, cum consideratio, & suavis valde, & ad conuertendas animas efficax sit. Certè iustus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, non solùm postquam intrauerit in gaudium Domini sui, sed etiam in ipso transitu mortis, quæ est vltima rerum terribilium. Cum enim ipse mortem benè viuendo superauerit, non tangeat illum tormentum mortis: licet videatur oculis insipientium mori. Tunc quippè, postquam hyems transijt, imber abiit, & recessit, ver nouum æternæ consolationis incipit apparere: & dum auditui eius, per bonum nūtiū, ego do gaudium, & lætitiā, exultant ossa tamdiu humiliata, & vehementer concupiscit in atria mea. Tunc videt, quàm bona fuerit negotiatio eius, & lætatur super bona opera sua, sicut qui inuenit spolia multa. Tūc sentit, quàm vera

vera fuerit vox, quam audiuit Ioannes
 seruus meus de Cælo dicentem sibi.
 Beati mortui, qui in Domino moriun-
 tur : & ex intimis medullis exultat
 cum ijs, qui ad cænā Agni vocati sunt.
 Tunc animæ laboribus, & tentationi-
 bus probatæ, atquè repulsæ, loquor ad
 cor dulcissimè, & amantissimè dicens:
 Surge, propera, amica mea, columba
 mea, & veni. Iam satis pugnatum est in
 terra inimicorū: Veni iam coronabe-
 ris, & possidebis, quem diu desiderasti.
 De torrente laborū bibisti in via: pro-
 pterea exaltabis caput, & omnem ter-
 rā solidissimā, quam cōspicies, tibi da-
 bo. Modicū laborasti, atquè fleuisti:
 in æternum requiesces atquè ridebis.
 Iam transierunt nubila vitæ laboriosæ,
 atquè sollicitæ, respice serenitatem
 Cæli, & candidissimam lucem appa-
 rentem tibi. Ne formides à facie
 inimicorum obsidentium te, quia
 ego tecum sum, vt liberem à tau-
 rispinguibus sponsam meam. Egre-
 dere iam de carcere corporis, vbi
 tam diū inclusa fuisti, vt frua-
 ris pretiosissima libertate ciuita-
 tis meæ.

tis mee. Veni vestieris purpura, & bysso, filia Sion, que prudētiā iustorū didicisti & omnē ornatū sæculi cōtempseristi, propter me. Diligo te, sponsa, sicut animam meam: ne timeas, quia ab æterno amavi, & elegi te. Veni dulcissima electa mea, & ponam in te regium thronum, & delitiosissimum reclinatorium meum; cōcupiui enim ego Rex Pacificus suauissimum decorem tuum. In hunc modum, filij mei, recipio in pace venientem de militia animam iusti, quasi charissimam prædam meam. Cogitate vos huius consolationis magnitudinem, & per bona opera vitæ, ad bonam, & beatam mortem properate. Omnes quantumuis peccatores, benè mori vellent (sicut infelix Balaam) dicentes: Moriatur anima mea morte iustorum: & fiant nouissima mea horum similia. Sed non erit benè in extremis ijs, qui optant extrema iustorum, & non curant obseruare principia. Sequimini me dum viuitis, ô filii, & ego vos morientes, vt fidelissimus adiutor in opportunitatibus, visitabo.

CAP. XVIII.

Describit mortem peccatoris.

EXISTIMANT homines peccatores, me peregrè profectum nunquam rediturum, vt ponam rationem cum eis. Stulta nimis est persuasio hæc, cum statutum sit omnibus hominibus semel mori. Citò veniam reddere vnicuique secundum opera eius: & sicut nullum opus pietatis sine præmio relinquam, ita nihil impietatis inultū remanebit. Veniet nox in qua nemo potest operari: quando iubebo ministris meis, vt seruum nequam, crudelem in conseruos suos, & ingratum innumerabilibus misericordijs meis, mittant in tenebras exteriores. Væ impio in malum. Væ horæ illi extremæ, in qua peccatoris anima adultera in vmbra mortis, & horrorem sempiternum præcipitabitur. Erat in terra defixa, vbi capiebat prohibita solatia sua, immemor angustia superuenturæ: & auellitur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcatur super eam, quasi rex, interitus. Tunc dicit illi cor suum im-

menso pondere iniquitatis oppressum:
Vide quia malum, & amarum est, reli-
quisse te Deum tuum, & non fuisse ti-
morem eius apud te. Iam non superest
locus pænitentiae, & peccata tua, ter-
roresque Dei militant contra te. Quid
profuit tibi iactantia, & color munda-
nae gloriae, quam quaesisti? Ecce omnis
voluptas tua in amaritudinem versa
est; & deuorat pulchritudinem cutis
tuae primogenita peccati, mors. Respi-
ce canes multos latrantes, & rabie in-
citatos, qui te circumstant, ut te prædâ
suam inferorum faucibus detrudant.
Hæc, & similia suggerit cor hominis
iniusti malè morientis: qui antequam
expiret, cruciatum inferni in ipso le-
cto præsentit. Et ego æquissimus Iudex
impio morienti sic respondeo, stultè e-
gisti infelix homo, cum recessisti à me.
Multiplicasti delicta, quasi nunquam
moriturus: nemo nunc eripiet te de
manu mea Quando videbas furem, &
currebas cum eo, & cum adulteris por-
tionem tuam ponebas: Quando os tuum
aduersus innocentes abundabat mali-
tia, & lingua tua concinnabat dolos:

ego

ego patienter sustinebam, vt te longanimitate mea, ad pænitentiam prouocarem. Tu verò odisti disciplinam meam, & proiecisti sermones, & inspirationes meas retrorsum: & secundum duritiam tuam, & impenitens cor thesaurizasti tibi iram in diem iræ, & iusti iudicij mei. Recurre nunc, in angustia mortis ad Deos tuos, in quibus habebas fiduciam. Surgant, & opitulentur tibi, & in necessitate te protegant. Hoc est iudicium, & sors hominis extra gratiam meam morientis, qui sua impietate constringitur, & damnatur. Quocirca qui habet aures audiendi audiatur, & tãquam reus ingemiscat vt me quasi iudicem in vita sustinens, in agone mortis, quasi clementissimum patrem inueniat.

CAP. XIX.

*Hortatur IESVS CHRISTVS
ad considerationem vitæ suæ.*

DESOLATIONE desolata est
omnis terra, ô filij, quia nullus
est, qui recogitet corde, & consideret
opera mea, quibus saxa mouentur.

G 4

Certè

Certè christiani omnes, totius vitæ
meæ exempla deberent attentè medi-
tari; vt prudentiam iustorum edisce-
rent, & viam ciuitatis supernæ inueni-
rent, in loco horroris, & vastæ solitu-
dinis. Sed præter paucos absconditos,
& a meos seruos meos, qui in toto
corde suo exquirunt me; vix inuenitur,
qui delectetur consideratione vitæ, &
operum meorum, in quibus lucet can-
didissima lux sapientiæ, & dulcissima
misericordia mea. Illi verò pauci serui
mei, quibus dulcescit meditatio mea,
sive pueri, sive iuuenes, sive senes sint,
enituntur prouidere me semper in cõ-
spectu suo: Vt faciant omnia opera sua
secundùm exemplar, quod in monte
perfectionis eis mōstratum est. Audie-
runt, decreuisse æternum Patrem meū,
electos suos, quos præsciuit, & præde-
stinavit, cõformes fieri imagini filij sui
vt sim ego primogenitus in multis fra-
tribus: & tota fortitudine sua, conan-
tur honestissimam formam meam im-
primere visceribus suis Beati certè sūt
hi amici mei, qui non sola considera-
tione, sed imitatione quoque in seipsis
repræ-

repræsentant innocentissimam vitam meam. Propter quod filij mei, estote sapientes, & hunc librum vitæ, statis horis, legite, atquè relegite. Hæc sit perennis exercitatio vestra omnibus doctrinis altior, & omni thesauro pretiosior: quæ ad omnem euentum confirmabit humilia, & casta corda vestra. Legant alij curiosas, vel vanas terrenorum regum historias, è quibus occasionem suæ vanitatis, & damnationis eliciunt: Vos vero avidissimè studeatis historiæ meæ, quæ mites animos, & æternæ salutis desideria creat. Et ego piis affectibus vestris misericorditer respondebo: & extincto mundi desiderio traham vos in funiculis humanitatis meæ, vt dum visibiliter me cognoscitis, præsentissimo auxilio meo, in rerû inuisibilium amorem rapiamini: & de fauissima consideratione vitæ meæ in diuinitatis notitiam, vbi fons æternæ consolationis manat, ascendatis.

CAP. XX.

Monet contemplationem diuinarum perfectionum.

G 5

Beati

BEATI mundo corde, quoniam i-
psi in celesti patria Deum clarè vi-
debunt, & in vita quoque mortali, for-
mosa valdè luce mea illustrabuntur, vt
quod maius omnibus est, purgato mè-
tis oculo cognoscant. Hæc est pars ma-
gna sapientiæ iustorum, qui respuen-
tes omnem mundi sollicitudinem, in-
estimabili suauitate, spectacula æter-
na & inuisibilia contemplantur; vt ad
infinitam bonitatem, ac pulchritu-
dinem meam, benè affecti, omnè glo-
riam hominum despiciant, & ex toto
corde me diligant. Hæc est prudentia,
quam fortissimi milites mei, abnega-
tione sui, & eleuatione mentis, supra
omne, quod videri potest, compara-
runt. Hic est thesaurus absconditus, què
qui inuenit homo; vadit, & præ gaudio
illius, vendit omnia, quæ habet, donat-
que pauperibus, & promptissima vo-
luntate sequitur me. Propter quod, filij
mei, si desideratis cognoscere, & me,
& clemētissimum Patrem meum, abij-
cite curas alias, & à finibus Tyri, & Si-
donis, vbi auditur strepitus negotiato-
rum mundi, ad montem Visionis, citò
recedite.

recedite. Scitote, quia non habitat bonum in carne vestra: & proinde ab ea quoque discedite, & sensuum officia parcè permittite: Ut ad verticè Phasga, erectione cordis ascendentes, exploratis à longè terram æternæ promissionis, vbi gustatur fructus paradisi mei. Surgite super vos ipsos, & quantum fert humana fragilitas, oculos mentis in candore lucis æternæ figite. Contemplamini infinitam Maiestatem, & suavissimam pulchritudinem formæ Dei, quam postquam probati fueritis, visuri estis. Aperite penetralia cordis, & viscera vestra, ad potum aquæ purissimæ, è fonte viuo manantis, dilatate. Ego vos in sùmitate Horreb erudiã, & per interualla, fessos recreabo: vt discatis quia melior est dies vna, vel etiã hora vna in atrijs meis, super millia. Ardebunt corã me corda vestra, quasi lâpades ignis, atq; flâmarû: & fortissimus amor meus vincet fragilitatem vestram. Scio quia (vt olim Iacob seruus meus, cui fuit nomē Israel) strictissimo amplexu tenebitis me, nequè recedetis, donec dulcissima benedictione mea roborerimini.

mini. Huc filij mei, per labores, & agones aspirate: & extensis brachijs desideriorum, ad suauissimæ Sionis altitudinem, per arctam viam ascendite.

CAP. XXI.

Hortatur ad pacem cordis querendam.

BEATI pacifici, quoniam dulcissimo nomine, & inæstimabili consolatione, filij Dei vocabuntur: neque vanè vocabuntur, quia per adoptionem infinita consolatione plenas erunt. Omnia in eis pacifica sunt: quia & anima, & corpus conuenerunt in vnum, & omnia pro captu suo, sitiunt ad Deum fontem viuum. Hæc est pax pretiosissima, quam dedi, & fidelissimo testamento reliqui discipulis meis quos mundus odit, & tanquam hostes suos persequutus est. Hæc est pax, qua electi mei gaudent in cælo, & pauci aliquot in terra: quia conuersatio eorum in Cælis est, & thesauros suos in cælo condiderunt. Pax hæc tam longè est à filijs huius sæculi, quam longè est à peccatoribus salus. Non enim
est pax

est pax impijs, quamuis illam sollicitè
 requirant, dum illicita desideria sua
 explere conantur. Pax vera Iustorum
 priuilegium est; quia vnicè diligunt
 immaculatam legem meam, & non est
 illis scandalum Ego Rex Pacificus, cui
 tributa reddunt omnia corda nobilia
 in Cælo, & in terra, auctor sum pacis
 huius, quam mundus non cognouit. A-
 byssus sæculi dicit, Non est in me, &
 mare negotiorum mundi loquitur,
 Non est mecum. Perditio inferni, &
 mors dixerunt, Auribus nostris audi-
 uimus famam eius. Certè beati sunt,
 qui pace mea fruuntur, quæ superat
 omnem sensum, & omnes mundi ho-
 nores, diuitias, & voluptates. Vos ergo
 filij, inquirete pacem hanc, & perse-
 quimini eam: contemnite omnes the-
 sauros regum terrenorum, & omnes
 negotiationes filiorum Agar; vt ad
 eam peruenire possitis Humilitatem,
 & mansuetudinem meam discite, ne
 perturbemini varijs euentibus rerum:
 & ego qui humilia corda nunquam de-
 spexi, postquam vos probauero, ita vt
 nauis vestra penè mergatur fluctibus,

imperabo ventis passionum, & tentationum, vt requiescant: & fiet tranquillitas adeò magna, vt admiremini dicentes: Quàm bonus, & potens est Altissimi filius, quia mare, & venti obediunt ei? Si vestra non curetis, sed in me omnem sollicitudinem projiciatis, dabo vobis dilectis meis somnum cum vigilia cordis benè cohærentem: vt inter mundanas varietates securè quiescatis, habentes ibi fixa corda, vbi vera sunt gaudia. Diligite me totis visceribus, & præter me neque vitam, nequè mortem, nequè honorem, nequè infamiam æstimate, & orietur intra vos iustitia, & abundantia pacis, donec à sua varietate auferatur luna. Hæc est hæreditas filiorum Dei. Hæ sunt opes regum, qui mecum sine fine regnaturi sunt: quas præparavi humillimis, & mansuetissimis electis meis, in sancta Ciuitate mea.

CAP XXII.

*Hortatur ad gratiam humiliter
occultandam.*

FILII, fugite vanam ostentationem

nem gratiæ meæ; nequè narretis cum
iactantia, quasi gratias agentes, quod
ieiunetis bis in sabbato, & opera bona
faciatis. Væ illis, qui pleni sunt sermo-
nibus, quos coarctat spiritus vteri sui:
quorum venter est, quasi mustum abs-
que spiraculo, quod lagunculas novas
dirumpit. Hæ Virgines fatuæ non diù
habebunt oleum deuotionis, & spiri-
tualis lætitiæ in vasis cordium, secre-
tum meum custodire nolentium. Meli-
us consilium est, gratiam meam humi-
litate pallio tegere, & in abscondito
latari mecum, in secreta voce exulta-
tionis, & confessionis, quæ conserua-
tur, & crescit misericordia mea. Caue-
te singularitatem, qui simul viuitis, &
communes actus, sine affectatione, &
signis nouitatis frequentate. Estote v-
nanimis in domo mea, quæ similitudi-
ne actuum exteriorum, & æqualitate
decoratur. Castra Dei sunt hæc, & tēto-
ria Israel pulchra, & ordinata: ne præ-
tereatis ordinē, vt præ alijs appareatis.
Certè si ambulaueritis in magnis, & in
mirabilibus super vos: sicut puer abla-
tatus iacet tristis in genib⁹ matris suæ
sic &

fic & vos, priuati dulcissimo lacte deuotionis, decūbetis in gremio Ecclesie genitricis vestre ac spōsæ meæ. Hæc est enim iusta retributio vanæ, & singularis ostentationis eorum, qui conseruare nesciunt suauissimum manna meum. Intelligite quæ dico filij, ne fiant corda vestra, sicut vter in pruina, qui humore siccato, gelu contringitur: & efficiamini inepti ad requirendam faciem meam. Beatus vir, qui semper est pavidus, etiam cum abundat consolatione mea: ipse enim per gratiam meam augebit incrementa frugum iustitiæ, & lætitiæ, quæ bonæ conscientie testimonium est. Filij, in terra inimicorum, & latronum habitatis; ne portetis thesauros publicè in via; sed studiosissime abscondite illos, & coram solo Patre meo, merita vestra multiplicare. Et clementissimus Pater meus, qui videt in abscondito, reddet vobis coronas immortales infinita consolatione plenas: quæ æstimatione mea, omnem mundi gloriam, & opulentiam superabunt. Hæc sit prudentia vestra, qua mundi sapientes seducatis, vt
sedu-

seductores, & veraces: sicut qui ignoti,
& mihi cogniti: sicut nihil habentes,
& in sacrario cordis clauso, omne bo-
num possidentes: & gratia mea pleni,
ad beatissimam lucem gloriæ, festi-
nantes.

CAP. XXIII.

*Ostendit in nullo bono esse glorian-
dum.*

CONSIDERATE filij, miseri-
cordias meas, quæ confitentur mi-
hi, & mirabilia mea, quæ feci filijs ho-
minum. Omne donum quatumuis par-
uum, aut magnum, de sursum est, de-
scendens à Patre luminum, qui gratis
vocauit vos in admirabile lumen su-
um. Nō enim vos prius dilexistis eum,
sed ipse prior amore fidelissimo dile-
xit vos, & cælesti gratia sua preuenit
vos, & circumcidit præputium cordis
vestri, vt diligeretis eum totis affecti-
bus, & viribus. Et ego Unigenitus filius
eius, dedi vobis potestatem filios Dei,
pretiosissima adoptione fieri, non ex-
pectans à vobis præueniri. Non enim
vos me elegistis, sed ego gratuito ele-
gi vos,

gi vos, ante mundi constitutionem: vt
essetis sancti, & immaculati, consortes
infinitæ Iustitiæ, & puritatis meæ. Gra-
tia mea estis quicquid estis; & nihil ha-
betis quod à dulcissimo Deo fratre, &
amico vestro nō acceperitis: & per me
habetis accessū, ad æternū Patrē meū:
à quo omnis paternitas in Cælo, & in
terra nominatur, & omnis pius affe-
ctus originem trahit. Per me non arde-
tis iam igne sempiterno, quem meru-
istis; & per me habetis spem inceden-
tem vsquē ad interiora Dei, quam ego
impressi visceribus vestris. Per me à
gratia in qua statis, non excidistis; &
versa non est in luctum inestimabilis
lætitia vestra. Cum ergo sine me nihil
possitis facere, & ne vnā piā cogi-
tationem habere valeatis: cauete ne
bonis operibus, quæ ex gratia mea fa-
citis, exaltemini, & vanè vobis tribua-
tis altissimam gloriam meam. Cogita-
te, quid de se senserint charissimi ami-
ci mei, quorum memoria glorificor,
& delector. Certè Abrahā seruus me-
us, cui peculiarius amicitiæ signū de-
di, vix de se aliud estimauit, quam quod
esset

esset puluis, & cinis. David verò electus meus, ex humili loco vocatus, paruulus fuit in oculis suis: nequè vnquam sibi tribuit misericordias meas, quas in organis lætitiæ, die, nocteque cantauit. Ne furemini laudem meã: sed laudis hostias, super altaria cordium, in simplicitate multa sacrificate. Agnoscite, quid ex vobis sitis, filij Adæ, & adoptionem filiorum Dei castis oculis, & puris manibus celebrate. Et placebit mihi sacrificium laudis, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui, quando pauci illi famosi amici mei, toto corde, quæsierunt faciem meam & recensebo vos inter maiores natu electissimi populi mei.

CAP. XXIV.

Docet vitam hanc esse Iustorum exilium.

EX quo peccauit Adã pater vester, filij charissimi, & malè vsus est amœnissimo paradiso, in quo posui eũ, vt operaretur, & custodiret illũ, cepit ipse cum filijs suis exul esse, & in regionem longinquam proficisci. Sed regionem hanc laboribus, & angustijs plenam pecca-

peccatores, quasi patriam suam diligunt: & corda sua terræ affigentes, requiem, & diuturnam habitationem in exilio requirunt. Iusti verò, & electi mei, scientes se in terra aliena, ob peccati penam, habitare, multis lachrymis, & suspiriis lamentatur aduersam sortem suam: & organa lætitiæ è salicibus Babylonis suspendentes, nullam consolationem admittunt. Sunt similes Ioseph seruo meo, quando descendit in Aegyptum, & amico meo Iacob, quando fuit accola in terra Cham. Barbara, & inhumana est generatio Adæ, iustis meis, quorum lingua, quasi peregrina in mundo non intelligitur. Exercentur dura seruitute tanquam homines nati ad laborem: nequè calicem aquæ frigidæ gratis inueniunt. Vultus, & habitus, & mores longè diuersi sunt à filiis huius sæculi spontè in terra uiuentibus, qui seruitute delectantur. Propter quod, ingemiscunt grauati, dolentes maximè, quia incolatus nimis prolongatus est. Clamant ad me quotidie, quasi pulli coruorum, vagantes eò quod non habeant cibos: & sicut merce-

merce-

mercenarij expectantes finem operis sui. Expectant lucem, & non vident, nequè ortum surgētis auroræ: eò quòd sæculi noctem tenebrosus turbo possidet, vt diutiùs exerceantur, & confiderent, quàm infælix sit conditio derelinquentium me: & suspirent ad dulcissimam patriam, & charissimam libertatem suam. Beati, qui se exules esse cognoscunt, & magnificas domos in terra non sua ædificare nolunt: quia cælestem sapientiam hanc ad discernendum, & iudicandum, caro, & sanguis non reuelauit eis, sed Altissimus Pater meus, & suus, qui in cælis est. Nò adhærebit terræ cor illorum, nequè spem suam in principibus ponent. In curribus, & equis non confident: nequè dicent obrizo, fiducia mea es. Non erūt tributarij Pharaonis: neque solatia parùm casta sequentur. Vos igitur filij, hæc attendentes, futuram inquirete Ciuitatem, & Chananeorum regum consortia, atquè palatia diligentissimè vitate. Operi quippe, & labori vestro merces magna reposita est.

CAP.

CAP. XXV.

Hortatur ad feruens desiderium summi boni.

OMNIA sub sole transeunt, charissimi filij, & cor hominis infiniti boni capax sedare non possunt. Solus ego, qui sum ipsum bonum infinitum, cor hominis explere valeo quod per diuinam fidem meam didicistis. Experientia quoque sollicitudinis, quam patimini conuincit vos: quia nunquam cor vestrum in quantalibet affluentia dicit satis est: quamuis omnia mundi bona utilia, & honorifica, & delectabilia possideatis. Attendite reges terræ semper inquietos, & meliora bona sollicitè quærentes, & audite iam disciplinam meam. Rex erat fidelissimus seruus meus Dauid, & oblitus regni sui, ardētissimè canebat. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Neque vnquam fitis illa sedata est, donec operatus sum salutem in medio terræ, & in candidissima luce gloriæ palam apparui ei. Quod ille bene nouit, quando fir-

do firmissima spe lætus cantauit . Sa-
tiabor, cùm aparuerit gloria tua. Quid
ergo quæritis filij ? Quò tenditis per
varia desideria! Audi Israel dulcissima
verba vitæ: dirige ad me vota tua, &
dilata os tuum, & implebo illud. Ape-
rite mihi sinus intimos, & latebras vi-
scerum vestrorum: & aperiam ego vo-
bis venam fontis viui, vt sine tædio, sa-
tiemini. Ne suscipiatis fictam mundi
redemptionem, vt meliorem, quàm
ego promisi vobis, inueniatis resurre-
ctionem. Ne quærat in lectulo huma-
næ commoditatis, quem diligit anima
vestra: Sed surgite velociter, & feruen-
tissimis desideriis, atquè gemitibus ad
fertilissimam regionem viuorum su-
spirate. Estote viri fortes, & coaduna-
tis animę viribus, ad serenissimã faci-
em meam, & ad castissimos amplexus
meos fortissimè properate. Nūquid nō
est equum, vt abiectis curis aliis anima
vestra desideret me in nocte, & spiri-
tu vestro, in præcordiis vestris, sollici-
tudine amoris anhelantibus, de mane
vigiletis ad me, vt saturemini fruitio-
ne in-

ne infinitæ bonitatis, & decoris mei?
Ascendite non passibus, sed igneis af-
fectibus, ad conspectum dulcissimæ
pulchritudinis meæ, quæ tota ciuitas
primogenitorum exhilaratur, & vali-
dissimè concupiscite suauissimam for-
mam Dei. Filij Sion electi, erigite sur-
sum corda; & Regem vestrum Salo-
monem, in omni gloria sua decore co-
ronatum, cuius vultum filix Tyri in
muneribus deprecantur, flagrantis-
simè desiderate legem membrorum
aduersantem legi mentis, amando vin-
cite, & supergredientes omne, quod
creatum est, in pulchritudinem in-
creatam, & lucem formosissimam defi-
cite. Et respondebo ego purissimis af-
fectibus vestris, & odorabor odorem
suauitatis ascendentem ex ara cordis
vestri, in amplissimis atriis domus
Domini, in medio triumphantis,
& super mel dulcissimæ Ie-
rusalem.

P A R S



QVARTA PARS

QVAE CONTINET
alia monita communia, &
alia ad status diuersos per-
tinentia.

CAP. I.

MONET IESVS CHRISTVS
*omnia obliuioni tradere, vt sola Dei
memoria remaneat.*

BEATI, qui scrutantur
attentissimè testimonia
clemētissimi Patris mei:
& in toto corde exqui-
runt eum. Sepositis enim
negotiis aliis, quæ charitas, vel iustitia,
vel obedientia non requirit, in lege
dulcissimi, & æterni testamenti mei,
meditantur dies ac noctes: & spiritua-
les hostias pacificas semper mihi puro
corde sacrificant. Cor eorum, & co-
gitatio apud altissimum, in cuius con-
spectu, per vigiliam charitatis, iugiter
versantur: & timēt ab eo separari, sicut

H

mors

mors timeri solet. Cognouerunt enim, quia vita in voluntate eius, & ira in indignatione eius: & propterea, per dies, atque noctes, studiosissime cogitant, quomodo possint placere illi: & diligentissime vitant quicquid oculos tantæ Maiestatis offendit. In iustificationibus eius meditantur, nequè vquam obliuiscuntur sermones eius. Ego sapientia, vnà cum Patre meo cuncta componens, & ducens vnâquamque creaturam ad terminos suos, dilexi vos Adæ filios, & de vnoquoque singulatim cogitavi, stans super cuiusque custodiam, ac si cæterorum oblita, illi soli intendere velim. Et dum assumpsi naturam hominis omnia opera mea, passionem, ac mortem meam, ad vnâquemque direxi, vt in Ecclesia magna, quilibet per me redemptus cantet omnes fideles, & antiquas misericordias meas. Totus ego Rex Pacificus, non ex operibus iustitiæ, quæ fecistis vos, sed secundum suauissimam bonitatem, & clementiã meã, factus sum singulis vestrum, quasi nutrix fouens filios suos: nequè sollicitum pro vobis cor meũ, à singulorum cura, aliorum cura diuer-

tit. Si ergo ego tam intentus singulis sum, cum bonorum vestrorum non egeam, & vos debetis, totis visceribus, mihi præcordia vestra consecrare, me semper meditari, atque diligere, cum sine me nihil esse, aut operari valeatis. Expandite manus, & viscera vestra ad me, cum sit anima vestra sicut terra sine aqua mihi, & ego fecundabo illam, ut lætetur gemellis amoris fructibus, & sterilitas recedat ab ea. Nihil ei, dum mihi vacat, deesse poterit: dabo illi regiones gætium, & labores populorum, sine labore possidebit: ut custodiat iustificationes meas: & legem meam plenam dulcedine, & dilectione requirat. Certè sancti mei, qui omnia detrimentum fecerunt, ut me lucrifacerent, summo studio diuinam præsentiam ante negotia, & lucra omnia ponere, & seruare curarunt; & hoc vno negotio tranquillissimo, quasi patrimonio suo, intemè lætati sunt: & exultarunt sicut exultare solent, in virginitatibus pratis agni ouium. Filij, concupiscite solùm decorum meum, & memoriã mei, omnium bonorum matrẽ, quasi aurum purissimum custodite:

& ego vos in omni aduersitate fidelissimè custodiam.

CAP. I I.

Conqueritur de obliuione Dei.

QUID est, quod dilectus populus meus, in domo mea, fecit scelera multa, & oblitus est mei, quasi ego morte ignominiola, & dolore plena nõ redemisssem eum? Ego nihil prætermisi, quod ad salutem, & consolationem populi christiani pertineret. Illi enim destinaui supremas misericordias meas; quibus ferè mansuescerent. Eius sunt fidelissima promissa mea, testamentum, & legislatio cælestis gratiæ meæ: & mitissimo corde cum populo acquisitionis versor, quasi ludens in orbe terrarum, vt inspirationibus, & gratuitis donis meis, corda dura emolliam, & vescar dulcissimo fructu sanguinis mei. Et tamen populus meus oblitus est mei, diebus innumeris. Nequè solùm pauperes, & ignari, & optimates, qui negotiis sæcularibus oppressi quasi gigantes gemunt sub aquis mei non recordantur, sed ipsi etiam Ecclesia-

Ecclesiastici, qui profitentur se nosse Deum, & quasi Nazaræi, se totos mihi consecrarunt, mei memoriam parùm curantes, ad studia sæcularia, & ludos, & venationes, ad hortorum culturam, & auaritiæ negotiationem conuertuntur. Quæ peruersio, & duritia cordis est hæc? Quare, filij mei, sequimini deos alienos, qui decipiunt, & corrumpunt animas vestras? Usquequò lugebit terra, quam dedi filijs hominum, qui dereliquerunt me: Conuertimini iam, filij charissimi, & afferte mihi gloriam, & honorem: continuis spiritualium hostiarum oblationibus, & cordis ascensionibus faciem meam citò requirite. Sumite psalmum laudum mearum, & pulsate tympanum ad perenne canticum gratiarum actionis celebrandum. Pergite exercere psalterium iucundum cum cithara, ad canendam totis viribus magnitudinem misericordiæ meæ. Considerate, & admiramini vias meas, & in adinventionibus meis exercemini. Delectamini in factura mea, & in operibus manuum mearum, cum populo, qui scit iubilationem, exultate.

Et experientia cognoscetis quàm suavis, & salutaris sit memoria mea, & quàm tristis, & mortalis obliuio mei. Decernite ex tota fortitudine vestra, memores esse mei, de terra Iordanis, cuius aquis abluti, & sanctificati estis: & imaginem formæ meæ intimis visceribus imprimite. Et ego pergam vobis benefacere, & secundum magnam, & admirabilem misericordiam meam, recordabor vestri, & vocabo vos ad æternam hæreditatem fællicissimi regni mei.

CAP. III.

Dolet super Ecclesiasticis.

QUO MODO obtexit caligine, in furore suo Dominus filiam Sion, dilectam sponsam meam, peccatis Ecclesiasticorum denigratam? Præcipitavit omnia speciosa Iacob, propter scelera filiorum meorum, quorum culpa, egressus est à filia Sion omnis decor eius: quia nobilior, & formosior Ecclesiæ meæ pars grauiter deformata est. Sanctitas illa antiqua Ecclesiasticorum

rum

rum cum Ecclesia nascente nascētium,
& sine fastu & astutiis sæculi, simplici,
ac fideli corde, in domo mea ministrā-
tium, extincta est. Video ego gentes in-
gressas sanctuarium, de quibus præce-
perat Altissimus Pater meus, ne intra-
rent in Ecclesiam suam. Gentilium
peccata, ambitio, auaritia, inconti-
nentia, in Ecclesiasticos transferunt:
qui facti sunt, velut tauri pingues, per
prata sine timore currentes. Propter
quod magna ex parte dissipauit Pater
meus tentorium suum: demolitus est
tabernaculum mansionis suæ, & obli-
uioni tradidit festiuitatem, & Sabba-
tum. Pollutæ sunt manus eorum, qui
exercent vasa Domini, quorum calen-
das, & solennitates odit anima mea.
Quid est hoc? Populus primogenitus
meus, qui deberet esse gloria, & forti-
tudo mea, est principium doloris mei.
Iam non est exemplum vitæ, quo
plebs paruula instruitur ad pieta-
tem, & animatur ad gradiendum
per viam, quæ ducit ad vitam. Væ
genti consecratæ, quæ in cominatio-
nem capitis versa est. Omnes, qui benè

considerant, obstupescunt, & dicunt: Hæccine est gens perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ? Debuerat quotidiano sacrificio, & dulcissimo Ecclesiæ cantu ad pietatem inflammari, & lapidea corda sæcularium, exemplo suo mouere: & tamen alienata est retrorsum, & mercede conducta, non pura intentione mihi seruit. Reuertimini ad cor, filij mei, & considerate nouissima vestra. Expurgate vetus fermentum Adæ, vt sitis noua conspersio ab omni vetusta corruptione aliena. Epulamini in azymis synceritatis, & veritatis, & primitiæ Ecclesiæ beatissimam lucem, & formam omni mundi decore amabiliorem intuemini. Implete mæsuram status vestri mundo altioris, & cælorum ciues candore lucis æternæ nitentes innocentia vitæ sectamini. Et recondam vos, vt charissimos amicos meos intra penetralia mitissimi cordis mei.

CAP. IIII.

Admonet Episcopos officij sui.

PASTORES multi, quibus commisi

misi curam gregis mei, demoliti sunt hæreditatem meam, quam ego à Patre meo clementissimo postulavi. Honoravi illos coram populo meo; ipsi verò contempserunt me; & ab exemplari suo lōgè recesserunt. Secuti sunt doctrias filiorum huius sæculi, qui vocaverunt nomina sua in terris suis, non curantes, an eorum nomina scripta essent in Cælo. Bonum opus dicunt se desiderasse, quia Episcopatum desideraverunt: sed non tenuit eos boni operis desiderium, sed amor reddituum, secundum æstimationem hominum, qui argentum thesaurizant. Væ pastoribus Israel, qui amore honoris, & dignitatis ad prælationem ascenderunt: confitentur se in statu perfectionis esse, & tamè nequè ante honorem illum, christianam perfectionem acquisierunt, nequè post obtentam dignitatem, iuxta regulam perfectionis viuunt. Quod abiectum erat, non reducunt; quod infirmum erat, non confirmant: quod fractum erat, non consolidant: quod maculosum erat, non emundant. Præuaricantur dulcissimam legem meam,

H s semet-

femetipfos ouium velleribus vestientes, oues verò perire, pro nihilo æstimantes. Quid dicam vobis, Ecclesiæ viri, quos patior inimicos, sub imagine personæ meæ, abutentes magna patientia, & misericordia mea? Bonas facite iam vias vestras, & iuxta cor meum, studia vestra corrigite. Pascite amici mei gregem meum verbo, & exemplo vitæ, forma facti gregis ex animo. Loquimini ad cor Ierusalem: & paruulos eius Apostolico lacte nutrite, ne fortè exhalent animas suas, in sinu matrum suarum. Instruite ignorantes viam Domini, deiectos corde roborate. subuenite egèno, & pupillo: humilè, & pauperem iustificate. Estote sobrij, casti, hospitales, & scripturæ meæ studio intentissimè vacate. Requiescite iam inter medias duorum testamentorù fortes, noua veteribus concilians, ad dandam scientiam salutis plebi meæ. Et deponentes omnem humanum affectum, non vt mercenarij, sed vt amici fidelissimi, causas sponsæ meæ tractate. Et ego vobis reddam coronas virides, quæ nunquam marcescent: & cum
sena-

fenatoribus supernæ ciuitatis meæ,
vos duplici stola indutos, sedere faci-
am in fælicissimo regno meo.

CAP. V.

Monet fugam prælationis.

ATTENDITE filij, & ministri
Ecclesiæ meæ, quæ loquor: verba
enim à sapientibus mundi abscondita
pronütio. Ego palàm locutus sū mūdo,
& primos accubitus, primasq; cathe-
dras recusavi. Factus sum inter disci-
pulos meos, tanquam qui ministrat: &
fugi solus in montem, ne turbæ me ra-
perent, & constituerent regem super
se. Ego Deus absconditus, & tectus pal-
lio humilitatis, & laboris, quo seruire
me fecistis in peccatis vestris. Non e-
go clarificaui me ipsum, nequè hono-
rem, aut prælationem mihi sumpsi; Sed
clarificauit me prius percussus, & hu-
miliatum Pater meus: vt ascenderem
de abiectioe ad honorem, quasi radix
de terra sitiendi: Non ego occupau
regnum, sed vocatus, & constitu-
tus sum Rex ab eo super Sion mon-

tem sanctum eius: non ut mollibus vestirer, sed ut prædicarem cum labore suauissimum præceptum eius. Quocirca filij mirabile est, quomodo sine timore meo, & sine propriæ infirmitatis cognitione, prælationes quæritis, atquæ requiritis? Quem magistrum imitami, filij mei? Quomodo non palpitat vobiscor, dum sollicitudine multa, per interpositos quoquæ terre principes, in quibus non est salus, quæritis fieri, & poni custodes in vineis, qui vineam vnicam propriæ conscientiæ nõ custodistis? Qui domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam adhibebit? Quid dicam vobis, qui vestræ damnationis diligentissimi operatores estis? Certè sancti mei, quos præesse æquum erat, timentes ne alios saluos facere conantes, ipsi reprobi fierent, prælationem accuratissimè fugerunt. Sciebant enim Saulem, quasi vnius anni puerum innocenter regnare cæpisse, & regno abutentem in æternâ damnationem incidisse, quamuis principio suæ assumptionis, non fuisset vir melior illo in Israel. Honores, & dignitates

gnitates cor inebriant: & à casto timore Dei etiam viros iustos auertūt. Propter quod, filij mei, gens sancta, & vncta oleo sanctificationis meæ, estote humiles in oculis vestris, & prælationem studiosissimè caueate. Profectò in Ecclesia primitiua, quæ feruebat calore sanguinis mei, prælatio, & mors comites erant: quia tyranni Episcopos primùm ad necem postulabant: & idcirco vanitas honoris, & diuitiarum, pura corda prælatorum à me non diuertebat: Nunc verò quando non imminet, occasio mortis, & suppetunt honor & cōmoditas, timor atq̃ conscientie prælationem diligentius vitare deberent. Ego scio quos elegerim discite modestiam, & de vobis ipsis humiliter sentite. Non respicio staturam hominis, sed cor sapiens, & intelligēs. Qui idoneus est, ex ipsis speluncis ad prælationem accipietur: nam & Pater meus, cum placuisset illi David, de post foetantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam. Hæc cogitate filij, & æstimate: atque subesse potius, quàm præesse

contendite. Et ego vos fidelissimos ser-
uos meos, honoribus æternis exaltabo.

CAP. VI.

Admonet Religiosos.

CHARISSIMI filij, quos è sæ-
culi mari magno ad statum Reli-
gionis misericorditer vocavi, habeo
aduersum vos multa lachrymis digna,
quæ attentè cogitare, & corrigere de-
betis. Ego plantavi vos in paradiso
meo, vt perfecta renuntiatione omniũ
rerum, & abnegatione propriæ volun-
tatis, & iudicij, sequeremini me reni-
bus accinctis, & quasi lactucas agrestes
manducantes, in transitu huius vitæ,
confitentes quia peregrini estis super
terram, & ad patriam Cælestem festi-
natis. Segregavi vobis dilectis meis,
humanas consolationes respicientibus
pluuiam voluntariam internæ visita-
tionis. Sic enim ego solari consueui
ablactatos à lacte, & auulsos ab vberi-
bus. Suscitavi vobis patres Religionũ
fundatores, qui fidelissimo corde fece-
runt omnes voluntates meas: & altera
manu

er.
do.
er-
li-
eo.
ia,
e-
so
iū
n-
i-
es
x,
er
i-
s,
is
a-
ii
i-
ū
a-
u

manu præliantes, altera ædificantes,
circumdederunt altis manibus mon-
tem sanctum, quem dilexi. Quomodo
ergo præuaricati estis pactum meum,
votis solennibus in medio Ierusalem
confirmatum, & primam charitatem
non seruastis? Congregatio Iustorum,
& pars electa Ecclesiæ meæ, quomodo
gemens conuersa es retrorsum? Quo-
modo emarcuit flos primitiæ obser-
uantia, quo nomen meum laudari so-
lebat, à solis ortu vsque ad occasum?
Iam non est cultus ille obedientiæ per
fidem operantis. Illa paupertas, so-
laria Cæli per incommoditates terræ
requirens, ablata est. Aemulatio il-
la sanctorum, contemptus mundi,
sensuum mortificatio, & decor mo-
nasticæ disciplinæ, à filia Sion egres-
sus est. Frustra videntur laborasse Pa-
tres vestri, quorum statum assumpsi-
stis, & fidem non obseruatis. Quis
non miretur ruinam vestram, ô plebs
mea, quam è multis nationibus ele-
gi? Quis audiuit talia horribilia, quæ
fecit nimis Virgo Israel? Nunquid
euelli possunt aquæ erumpentes fri-
gidæ

gidæ & defluentes, vt vbi ego dedi fō-
tem vberem misericordiæ, siccetur
terra? Væ statui Religionis declinan-
tis à rigore obseruantia: quia cum his
nouissimis temporibus homines sei-
psos amantes, quando professionem e-
mittunt, promittant eadem, quæ sancti
Religionis institutores promiserunt,
remissè viuunt, nec eadem obseruant.
Rarò valdè Religiosus perfectus quasi
stella matutina in medio nebulæ splē-
descens, inuenitur. Reliqui verò, innu-
merabiles sicut arena, quæ iacet in lit-
tore maris, errauerunt in inuio, & non
in via. Et facta est terra eorum in deso-
lationem, & in sibilum sempiternum,
Omnis, qui præterierit per eam, obstu-
pescet, & mouebit caput suum. Elege-
ram ego gentem, vt habitarem in me-
dio eius, & diligerem illam, sicut ani-
mam meam, sed ipsa recessit à me, fa-
cta que est habitatio draconum, & di-
misi filios eius secundum desideria cor-
dis eorum, vt contra suorum Patrum
instituta irent in adinventionibus suis.
Nunc ergo filij mei, ne declinetis cor
vestrum in verba malitiæ ad excusan-
das ex-

das excusationes in peccatis. Sed memores estote, vnde ceciderit corona gloriae vestrae; & respicientes omnia consilia hominum insipientium inobseruantiam excusantium, antiquam laudem totis viribus renouate. Germinet denuò terra vestra herbam virentem, & lignum pomiferum iuxta genus suum. Ego mittam spiritum meum, vt recreemini, & facies terrae renouetur. Confortamini, & cõuertam captiuitatem vestrã affluentem gratia mea, sicut affluere solet aqua torrentis in Austro. Mittam lampades in visceribus vestris, vt fortissimè impedimenta superetis. Quid timetis, filij charissimi, quasi abbreviata sit manus mea? Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduersarij vestri. Ego vos iterum parturiam, donec reformetur primus status in vobis. Et post ædificium nouæ Ierusalem, reddam vobis fidelissimis seruis meis multiplices coronas, inæstimabilibus gaudiis, & honoribus plenas.

MVNDAMINI, qui fertis vasa Domini, & pollutum nolite tangere, ne fortè moriamini. Attendite verba mea, charissimi amici Sacerdotes noui, & æterni testamenti mei, & induimini suauissimum iustitiæ decorem, vt sanctè sancta tractetis, & nomen meum infinita veneratione dignum non polluatis. Feci vos confortes sacerdotij mei, vt essetis mediatores populorum, quorum pondus portatis, & auerteretis iram meam, ne disperderet eos. Et ideo deberetis niue candidiores esse, & corda, manusq̃e puras extollere in sancta; vt decor sacrificij vestri ascenderet ad Altissimum Patrem meum, & donaret vobis delicta populi. Considerate dignitatem vestram, quia vncti estis oleo sancto meo, & panem vitæ, qui de cælo descendit, quotidie comeditis. Tanta est profectò altitudo dignitatis vestræ, vt motiũ vertices superetis, & cæli cælorum vobis inclinentur. Quid ergo dicam vo-

cam vobis, cum videam vos in caelesti dignitate constitutos, homines esse, & secundum hominem ambulare. Mirabile est, vos corpore, & sanguine meo quotidie pasci, & vitiis ceterorum hominum, qui profane viuunt, deformari. Quid est hoc? Quomodo non transformamini in me, & innocentia vitae resplendetis? Exuite iam filij mei veterem hominem, ut singulari pietate, tantum ceteris hominibus praestetis, quantum illos dignitate praeceditis. Adhaereat esca, quam sumitis visceribus vestris: & corpora vestra, quae Dei templum facta sunt, ab omni corruptione praeseruate. Luceat lux vestra, sole clarior, coram hominibus, quorum culpas abluitis, ut exemplo vitae vestrae emolliti, atque conuersi, glorificent per fructus iustitiae, clementissimum Patrem meum, qui in caelis est. Fugite commercia filiorum huius saeculi, qui vitae puritatem oderunt: & Ecclesiae sponsae meae, disciplinam toto corde sequimini. Haec sit iugis meditatio vestra, & intima laetitia, qua inter mortalis vitae fastidia, delectemini

et emini. Discant alij prudentiam, quæ de terra est, qui merguntur in terrenis desideriis, quasi plumbum in aquis vehementibus: Vos verò qui pane vitalissimo nutrimini, caute ne regale sepulas immundis cibus maculetis. Altiores mundo estis: cælestia, cum mundi contemptu, cogitate, atquè diligite & altissimum Iustitiæ sacrificium in mei memoriam purissimis affectibus sacrificate. Et non solùm placebit mihi holocaustum vestrum, plusquàm sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, qui inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, sed supra omnia mundi bona iucundabor in castis, & humilibus cordibus vestris, quæ ardebunt igne charitatis in conspectu meo.

CAP. VIII.

Monet Principes terra.

AVDITE principes terræ, quæ dico: & sepositis curis aliis, vos quoque reges intelligite: & erudimini qui iudicatis terram. Ego vobis dedi Excellentiam hanc, vt tolleretis medullam

dullam cedri, & optima quæquæ terræ
comederetis. Certissimè enim per me
reges regnant, & legum conditores
iusta decernunt. Propter quod, intima
gratitudine, deberetis seruire mihi, &
gloriam meam studiosissimè amplifi-
care. Et tamen erigimini aduersum
me: quasi non ego, sed manus vestra ex-
celsa fecerit hæc omnia, quæ aliis ho-
minibus mirabilia videntur. Non benè
vtimini infinita bonitate, & miseri-
cordia mea, per quam in throno sede-
tis. Quænam alienatio mentis est hæc?
Nunquid non omnia mea sunt, & va-
leo deponere potentes de sede, & ex-
altare humiles, qui viuunt in simplici-
tate cordis, & tremunt ad sermones
meos? Cur eleuamini filij Adæ, & qua-
ritis esse sicut di? Non est potentia, ne-
que sapientia, nequè fortitudo contra
Dominum, qui curuat imperia. Profe-
ctò licet amor, & gratitudo deesset,
timor saltem deberet mouere vos, vt
Regem Regum, qui Lucifero non pe-
percit, timeretis: ipse enim alligat re-
ges in compedibus, & nobiles eorum
in manicis ferreis: sed & nunc quando
puta-

putatis, vos posse quidquid placeat, stultissimè agitis, dum in quolibet negotio, non ad me, sed ad consiliarios, vel milites, vel ad aurum multum confugitis, non considerantes, quia cor regis est in manu mea, & quocunque uolero, uertam illud. An existimatis omnia, quæ cogitatis, & conamini, cõdita nõ esse apud me, & signata in thesauris prouidentia meæ? An non exigam rationem de iniustis uectigalibus, & tributis, quibus uiduas, & orphanos affligitis, & sanguinem dolentium absorbetis? Estote filij mei, reges magni pietate, & solima uestrum misericordis multis exaltetur. Iustitia, & iudiciũ sit ornat⁹, & præparatio sedis uestræ, & pax dilatat regiones uestras. Reddite mihi tributum casti timoris; & amoris, & subditorum corda non ad ostentationem vanam, sed ad uera, & æterna bona exemplo uitæ, mouete. Reges gentium dominantur eorum, & tyrannicè subditos opprimunt: uos uerò serui Regis pacifici, qui mansuetudine infinita regnauit à ligno, patres potius, quàm dominos præsen-

præsentate. Sic eritis reges non solum corporum, sed etiam cordium & regendi suavitate amplificabuntur domus vestræ. Et ego vos fideles confortes meos, de terreno, ac temporali regno, ad Cœlestis, & æterni regni mei consortium, hora nouissima vocabo.

CAP. IX.

Hortatur diuites sæculi.

NE lætemini, filij, super multis diuitiis vestris, quasi alia bona meliora non sint, & domos æternas in terra, quam diligitis, possidere valeatis. Stulta enim est cogitatio hæc, quam experientia quotidiana condemnat. Quanti mercatores coaceruant aurum, & argentum, sine requie, & sine fine, & in pænam sollicitudinis, & laboris infiniti, non dimidiant dies suos? Tempus breue est: ego venio citò. Quorsum ergo tanta sollicitudo, cui omnes mundi opes satisfacere non possunt? Satis diuites facti estis: & certum est, vobis multa bona superfluere, quæ clamant aduersum
sum

sum vos, pro pauperibus, & afflictis, qui cupiunt saturari de micis, quæ cadunt è nimis lauta mensa vestra. Quid ergo de superfluis agere cogitatis? Mittite panem vestrum super inopes, quasi super transeuntes aquas, & illum in littore maris magni repositum inuenietis. Consilium meum vobis placeat; Redimite misericordiis pauperum animas vestras, & emite paruo pretio ius magnum in regno immortalitatis mee. Quid moramini deponere graue pondus diuitiarum, sub quibus fatigamini, nec ad vitalem auram æternæ felicitatis respirare valetis? Eleuate capita vestra, & respicite opes meas, quas largitione eleemosynarum, lucro magno, comparare potestis. Beati, qui ad currendam salutis viam se exonerant, & misericordiâ diuites sunt, quoniam ipsorum miserebor. Percipite filij quæ moneo: & facite, vt opes vestras manus pauperum in caelestegazophylacium deportent: habebitisque thesaurum non deficientem in Cælis. Quid timidi estis, quasi vobis propter eleemosynas multas, egestas superuentura.

ventura sit? Absit profana cogitatio hæc: immo propterea domus vestræ multiplicabuntur. Offerte mihi confidenter de substantia vestra, & de primitiis frugum vestrarum: & implebuntur aræ vestræ frumento, & vino torcularia redundabunt. Voces, & desideria pauperum pro vobis orantium penetrabunt viscera mea. Et ego vos mihi per misericordiam similes amabo: domos magnas ædificabo vobis in terra: & in superna Ierusalem, quæ mater vestra est, mansiones infinitæ consolationis, & pacis abundantia plenas præparabo.

CAP. X.

Admonet homines negotiosos.

IN pace cordis ad æterna bona suspirantis factus est locus meus, & habitatio mea à strepitu negotiatorum longè remota; facta est in Sion. Qui cor suum effundit sicut aquam, in terrena negotia, & sollicitudines sæculi, peregrè recedit à portu tranquillitatis bonæ conscientiæ, quæ abiectâ curâ sæculi, intimè gaudet iucundissima ha-

ma habitatione spiritus mei. Filios Tyri faciētes operationem in aquis multis, & sine fine laborātes non permittam ad pacem Sionis peruenire, quamuis pacem sine requie requirant. Considerate filij, qui negotiorum aquis suffocamini, quò tendat infinita sollicitudo vestra: & quā inespicienter agitis, dum cor vestrum, quod mihi totum sacrificare deberetis, in tot curas dissipatis. Qui non colligit mecum dispergit: qui non est mecum contra me est: qui non amat, & quærit communicationem meam, non est benè affectus erga me: Utinam haberetis aures audiendi me, & daretis locum inter tot negotia mūdi, negotio vni salutis vestrę, quod præponderat vniuersis mūdi bonis, quę apparent, & non sunt. Usque quò vim facietis suauissimo Spiritui meo, qui secretis inspirationibus instruit vos ad proijciendam molem tantam ex humeris vestris, & pacem meā æternę salutis nuntiam requirendam? Sinite iam filij oppressionem hanc, & ad auram vitę immortalis respirate. Et-

re. Etenim omnia, quæ diligitis & negotiamini, finem habent, & tela quam ordimini, citò succidetur. Quare ergo non præmeditamini tristem exitum laboris vestri, & conuertimini ad dulcissimum otium meum, vbi veram lætitiã, & spem gaudiorum matrem inuenietis? Quod, si vobis durus est hic sermo, & non potestis sustinere eum, quasi negotia deponere non valeatis: destinate saltem modicum tempus, vt mecum quotidie, negotiemini. Clamate ad me in fortitudine, & rerum temporalium pondere grauati cadite coram me: vt misericordia motus auferam à vobis iugum ferreum, sub quo cibum, qui perit, operamini. Recedite à tabernaculis Ismael, & seruitutem dnam detrectate. Captiui filij mei, quærite libertatem honestissimam filiorum Dei: agnoscite christianam dignitatem: & nolite ad seruatorum labores degeneri conuersatione redire. Si cordis auribus audieritis verba mea, ego ostendam vobis suspirantibus ad me, quantò sit dulciùs Patri

meo quam mundo seruire. Et dabo vobis cor carneum, ablata duritia vestra, vt iam sequamini me, & voluntas vestra requiescat in suauissima lege mea.

CAP. XI.

Hortatur ad custodiam cordis.

FILII, omni custodia custodite corda vestra, nequè in hac vigilia dulcissimæ dilectionis vnquam dormitetis. Custodite corda, sicut amatores mundi custodiunt aurum, ne fortè per ingritudinem, vel incuriam, pereatis de via iusta. Ne admittatis consilia hominum, qui sanguinem meum æstimare nesciunt, & salutem æternam suam, non magnopere curant. Murum enim circumdate cordi, ne hostes vestri nocendi cupidissimi, ædificium spiritus euertant. Ego noui fragilitatem cordis humani, quod facilè seducitur, vt in varios amores diuidatur. Experientia quoque scire potestis, quoties cor vestrum captiuum egrediatur à seipso, vt seruiat creaturis, quarum voluptate trahitur. Vigilate, & diligentissimè caute tactum mortuorum, quibus plenus est

nus est

o-
a,
e-
ea.

ite
lia
ni-
res
per
tis
o-
na-
m,
um
no-
tus
dis
in
tia
ve-
, vt
ate
ca-
le-
est

nus est mundus, ne fortè moriamini. Templum Dei sanctum est, quod estis vos: caute ne domus mea, quam decet sanctitudo, profanetur. Præmeditami- ni occasiones peccatorum, vt decline- tis eas: & dum iter facitis per terrena commercia, vbi affectuum pedes pul- uere humano sordescunt, etiam pulue- rem pedum vestrorum excutite. Laua- mini frequenter, & postquam loti fue- ritis, iterum emundamini: nam, & qui lotus, & mundus est, indiget vt lauet pedes. Nequè vobis asperum videatur consilium meum, quia vestra corda ar- dentissimè diligo, proptereaquè vo- stulo, ponatis me vt signaculum, su- per illa, vt ego illorum Dominus co- gnoscar. Fortis enim est, vt mors dile- ctio, & implacabilis amoris æmulatio: atquè ideo ferre non possum cordis vestri consortes. Seruate ergo fideliter vos ipsos mihi, & intima consolatione lætamini, quia vos totos solus ego vo- stulo, & non est mecum Deus alienus. Quid enim dulcius vobis accidere po- test, quàm mei iuris, & regni esse, to- tisque visceribus adhærere mihi? Vti-

nam verba hæc mea penetrarent animas vestras, & vos ad æternam cordis custodiam excitarent. Posui ego ex infinita bonitate erga hominem totum cor meum: æquum ergo erit, vt homo cor suum totum mihi reddat. Grati igitur estote, filij: & escam hanc suauissimam mihi afferte. Et ego, qui exigua munera non despicio, magnum sacrificium hoc odorabor, faciamque vt iugiter ardeat in altari meo. Et demum eius suauitate allectus attraham vos ad me ipsum, & recondam vos fidelissimos seruos meos, cordisque custodes, in thalamo, quem filix regum cupierunt, hoc est in penetralibus tennerrimi cordis mei.

CAP. XII.

Instruit tentatos.

FILII, oportet vos probari, si accepti estis Deo, vt ego in vobis glorificer, & vos maiori gloria coronemini. Aurum probatur in igne, & homo in camino tribulationis. Confortamini, & estote robusti, nec vlllo modo seruiatis Philistæis. Nō vos relinquā, vel patiar ten-

tiar tentari supra id, quod potestis: Sed
faciam potius cum tentatione prouen-
tum. Lætamini, cum exercemini multi-
plici colluctatione aduersus carnem,
& sanguinem, & aduersus principes
quoque tenebrarum harum: quoniam
ego vobiscum sum, vt eruam vos de
manu inimicorum vestrorum, qui sa-
luti vestræ vehementer insidiantur.
Non est voluntatis meæ ruina homi-
nis, neque vnquam suspirantes ad me
deserui in tempore senectutis. Ego vi-
ci mundum. Ego Pontifex vester, vir
dolorum, & sciens infirmitatem, cum
pugnantibus pugno, & cum victoribus
vinco. Beati eritis, si per omnia ad si-
militudinem meam tentemini, & pa-
tiamini foris pugnas, intus timores. Si
enim sufferatis tentationem, & ego
renes vestros, & cor vestrum exuram,
eritis fælices tanquam filij excussorū,
qui timore & probatione mea prospe-
rātur. Accipite mites corde consilium
meum: quando tentatio vos multum
angit, celeriter inuocate me, & sine
vlla hæsitacione confidite, vos gratia

mea iuuante victuros. Clamate ad me fortiter, & in spem contra spem credite: & videbitis mirabilia, quæ operabor in medio vestri. Recordamini electi populi mei ad littus Rubri maris suspirantis, & Pharaonem propinquantem, cum mortis horrore, timentis. Ego increpui mare Rubrum, & exsiccatum est: & deduxi seruos meos in abyssis, sicut in deserto Nequè solum in angustia saluauit eos, propter gloriosissimum nomen meum; sed & in aliis euentibus, quando clamauerunt ad me, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eripui eos. Cauete filij diffidentiam, quæ pugnat cum dulcissima misericordia mea. Etiam si ad portas mortis accedatis, adhuc sperate in multitudine magnitudinis, & suauitate infinitæ bonitatis meæ: & habentes summum sacerdotem, qui penetrauit Cœlos, & interpellat pro vobis, exercete vestræ spei fortissimam, & solatio plenam confessionem. Contemnite minas mundi, & inferni, fundati supra firmam petram angularem, quæ ruinam non timet. Et infirmabuntur crura omnium

omnium regum Amorrhæorum, qui transitum vestrum in terram fidelissimæ promissionis impedire conantur. Pugnate pro æterna laude mea, & salute vestra: & ego coram vobis omnes inimicos vestros humiliabo.

CAP. XIII.

Hortatur ad considerationem mysterij Incarnationis.

AMANT homines nouitatem, & rerum nouarum studio delectantur: & tamen cum nouum fecerit Dominus super terram, quando foemina circumdedit virum, pauci sunt, qui nouum hoc, & mirabile mysterium dignè considerent. Non placet mihi filij mei obliuio hæc, & nimis dura ingratitude: quia & gloriæ meæ, & saluti, consolationique vestræ contraria est. Ego posui homines in dulcissimo memoriali nominis mei, vt illorum Deus nominarer: & cum in forma Dei essem, ex altitudine illa infinita descendi, vt factus homo, essem amantissimus frater, & amicus vester: quo certè beneficio vos conditione fragiles Angelicis spiri-

spiritibus anteposui. Nusquam enim Angelos apprehendi, sed semen Abrahæ apprehendi, placuitque æterno Patri meo, vt vobis potiùs quàm supremis creaturis assimilarer. Hoc est Verbum breuiatum, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, ad inenarrabilem gloriam, & consolationem vestram; vt exultetis spe confortij mei tanquam primogeniti, & amantissimi fratris vestri. Quid timetis fratres mei dilectissimi, Verbum, quod erat in principio apud Deum, caro vestra factum est: quid superest, nisi, vt hospitio delectabili, habitet in vobis, tanquam in optatissima requie sua? Ego sum frater vester, filius hominis, sitim, & famem, calorē & frigus, & alia multa mala vestri causa passus: confidite, & diligite me: nequē enim fratribus meis quicquam negabo. Vtinam agnosceretis dignitatem vestram, & mihi per omnia similes conuersatione vitæ efficeremini, casti, humiles, mites, misericordes, & cælestium bonorum æstimatores. Habetis stimulum amoris, ex quo non horruì Virginis vterum, vt
canti

tanti mysterij non ignari, miremini, & dilatemini, & exultetis consortio Incarnationis meæ. Habet filia Sion Regē mansuetum, non in curribus, & equis gloriantem, sed benignitate, & misericordia magnum, diuitem in omnes, qui inuocant illum. Accedite cum fiducia ad thronum gratiæ meæ, non formidantes Maiestatem Dei absconditi, & operti velamento humanitatis vestræ. Ego enim sum princeps pacis, faciens vtraque vnum, delens, quod aduersum vos erat chirographum decreti, dissoluens vincula colli vestri. Ego Emmanuel semper vobiscum in fœdere amoris æterni permansurus, protegam vos: & (si me non respuatis) in omni aduersitate, & prosperitate habebō vos, tanquàm dulcissimos fratres meos.

CAP. XIV.

Hortatur ad æstimationem redemptionis.

CONSIDERATE filij, quæ
moneo, & in cordis centro
verba mea conseruate. Non bonis
corruptilibus, auro nempe, & ar-
gento

gento redempti estis de vana conuersatione paternæ hæreditatis vestræ, quam ex Adam accepistis: sed pretiosissimo sanguine Agni immaculati, qui dignus est, accipere Diuinitatis gloriam, & honorem, qui vero Deo, & Salvatore mundi debetur. Redemptio vestra, quam operatus sum in ligno, vbi, quæ non rapui, affluenter exsoluebam, lux sole clarior est, quæ ostendit infinitæ bonitatis, & misericordiæ magnitudinem: per quam commota sunt super labore vestro tenerrima viscera mea. Attendite filij mei, quæ legitis, & obstupescite super cõsilio antiquo, quod elegi, vt redimerem captiuos meos, & prædicarem victis libertatem filiorum Dei. Certè si semel adhereret digna æstimatio sanguinis mei visceribus vestris, mirabiliter arderetis, atque combureremini viuo igne dulcissimi amoris mei. Quis enim non accendatur, & ardeat, quando considerat, me Altissimi filium, ad labores hominum descendisse, & per sudores, & labores, calceamentum diuinitatis (quæ caro humana est) ad Aethiopes, & Idumæos

mæos extendisse? Quis adeò durus corde sit, quem instrumenta passionis, & mortis filij Dei, non compungant? Petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, sol luxit, & obscuratus est, terra tremuit, & attonita quieuit, dū cataractæ Cæli apertæ sunt, & abyssus sanguinis mei decurrentis in terram, abyssum misericordiæ vobis tribuendæ (ex iustitia meritorum meorum) inuocauit è Cælo. Quis ex vobis sapiens, & in latibulo cordis custodiet hæc, & per experiētiam intelliget misericordias Domini? Utinam cogitaretis, quo pretio empti sitis, & quàm stricto iure, totum cor vestrum mihi debeatis: Vos per salutarem considerationem hanc, fructu redemptionis copiosè gauderetis & ego fructu laboris mei iucundissimè lætarer. Meditamini filij, grande mysterium hoc, & dilectā animam meam, quam pro vobis dedi in manus inimicorum eius, præ omnibus mundi thesauris, honoribus, & delectationibus æstimate. Et sicut cedrus, quæ in Libano est multiplicabimini: eritq; vobis quasi torrens voluptatis inæstimabilis redemptio mea. CAP.

CAP. XV.

Ostendit, suaue esse, seruire Deo.

Quid est, quod filij Adæ horrent
 verbum crucis, tanquam durum,
 & insuaue, & vnusquisque in viam suã
 declinauit? Me quasi durum Dominum
 sollicitè fugiunt, & principibus terræ
 seruire malunt. Mirum est hoc. Cum e-
 nim solus ego æternam vitam, & ple-
 nam consolationem eis dare possim:
 per iustitię semitas ad montem Domi-
 ni ascendere recusant, & montes alios
 difficiliore superare conantur. Et-
 enim solus mons Dei, mons bonorum
 omnium aggregatione coagulatus, &
 pinguis: vt quid ergo fingunt homines,
 montes alios coagulatos, cum difficul-
 tates mundi (etiam quando superantur)
 steriles sunt? Certè seruire Deo regna-
 re est: quocirca mirabile videtur, ho-
 mines regnandi cupidissimos; mihi
 seruire nolle. Nequè solummodò mi-
 randum est, quia regnare detrectant,
 sed etiam, quia infinitam suauitatem
 legis meæ nequè requirunt, nequè co-
 gnoscunt.

gnoscent. Profectò si in via Dei ambulassent, habitassent pacificè super terram, & cor, præ magnitudine lætitiæ dilataffent: sicut ille, qui ambulabat in latitudine, quia mandata mea totis viribus exquisiuit. Intelligite quæ dico filij, & saporem veritatis meæ, ipsa experientia gustate. Qui mihi fideliter seruit, bonæ conscientie lætitia exultat, & firmissima spe æternæ retributionis veriùs gaudet, quàm si totius mundi honores, diuitias, & voluptates possideret: Et interim dum laborat, & mala multa sustinet, ego secretis inspirationibus, & illuminationibus, eius infirmitatem corroboro. Ego doceo manus eius ad prælium, & singulos digitos ad bellum: vt sine timore de manu inimicorum suorum liberatus, constantissimè seruiat mihi. Dicit confidenter: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Maior lætitia, & suauitas percipitur in præliis sub vexillo meo, quàm in pace mundi, quæ in sola superficie hæret, nec lætitia cordis appellari potest. Hinc est, vt soli iusti verè lætentur,
& exul-

& exultent, & verè glorientur soli re-
cti corde. Hanc ergo prudentiam disci-
te filij, nequè humanis consiliis acqui-
escere velitis. Tollite iugum meum
suauissimum super vos; & sub hoc, pa-
cem intimam pertingentem vsque ad
medullas apprehendite. Letamini vos,
qui prudenti coniectura colligitis, no-
mina vestra scripta esse in libro vitæ.
Aperite sinus viscerum vestrorum, &
cælestis consolationis aquam sitienter
haurite. Fleant illi, qui remorsu con-
scientiæ cruciantur, & per latam viam
perditionis furiosè currunt. Ridete,
& exultate vos, qui mihi seruire decre-
uistis; vos præsertim, qui reliquistis
omnia, & sequuti estis me: quia in hac
vita, cétuplùm accipietis, & cum glo-
riofissimo triumpho, & totius super-
næ Ierusalem acclamatione, vitam æ-
ternam possidebitis.

CAP. XVI.

Ostendit, triste esse, peccato seruire.

NON est pax, & cordis lætitia im-
pii, qui faciunt peccatum, &
proinde serui sunt peccati. Mæstissima
est fi-

est, filij charissimi seruitus hæc, quam homines magno pretio emere solent. Sollicitè quærunt gaudia, nec inueniunt: quale enim gaudium accidere possit ijs, qui in vmbra mortis sedent, & lumen Cæli non vident? Excæcauit illos malitia eorum, dati que sunt in reprobum sensum: atque ita cæci, & insani, per varia desideria, quasi arietes non inuenientes pascua, discurrunt. Sensus eorum, tanquàm paruuli rationis expertes, ducti sunt in captiuitatem, antè faciem dæmonis tribulantis: & ideo, vt captiui per eadem, per quæ peccant, puniuntur, stimulos conscientia iam ibi sentientes, & cruciatum æternum præsentientes. Væ illis, qui rebelles fuerunt lumini, & disciplinã vitæ non receperunt. Attendite filij, quæ moneo. An putatis horrendum non esse, peccatorem hominem dum peccat mortaliter, certò scire, si in eo statu moriatur, vt faeilè potest, se igne sempiterno torquendum esse? comedit, & bibit, & iocatur, quantum potest: sed parum potest, quia est post commissum peccatum, & in ipsis gaudiis il-

diis illicitis, dum peccat, ego immitto illi terrores conscientiae, ut iustus appaream in sermonibus meis, & vincam cum iudicauero. Infelices homines, quasi tumentes super se fluctus timent iram Dei, quem oderunt: & pondus eius ferre non possunt. Propter quod, velint nolint, ipsis operibus suis ostendunt se odisse lucem, & timore seruii perterritos à facie mea fugere, ac timere, sicut Cain, ne omnis qui inuenit illos, occidat eos. Ad omnem strepitum suspicantur se iam ad iudicium vocari, & sibi videntur, terribilem tubam audire. Mihi credite filij, omnes labores iustorum, omnes eorum persecutiones, ac tētationes, magna solatia sunt, si cum durissima peccati seruitute comparentur. Fugite seruitutem hanc, & ut ipsas inferni portas perhorrescite. Aspirate ad nobilissimam libertatem meam, vitæ meæ pretio partam: neque periculo tanto animas vestras, quas redemi, insipienter committatis. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, sustinete me præliantes prælium Domini pro tuenda li-

da libertate, quæ melior, & amabilior est super vitas. Et digni eritis, qui accipiatis nomen nouum in amplissimo regno meo, quod nemo scit, nisi qui accipit. Vbi cum libera matre vestra, quæ sursum est cantabitis in æternum dulcissimas misericordias meas.

CAP. XVII.

Ostendit paucos saluos fieri, plurimosq; damnari.

ARCTA est via, quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam, & si enim omnes illam inuenire possint, se ipsos tamen nimis amantes, spatiosam viam perditionis eligunt, nouissima sua considerare nolentes. Beati pauci illi, qui toto corde me requirunt, & breui angustia æternam consolationem operantur. Tristitia illorum vertetur in gaudium, quod non auferetur ab eis. Væ tamen illis, quorum numerus est, sicut arena, quæ iacet in littore maris, qui timore tentationum, & difficultatum victi, per latam viam gradiuntur, neque conantur in eo numero paucorum fortiù recenseri.

censeri. Inimici sunt crucis meæ, sine qua salus esse non potest, quia ex ea salus mundi pependit. Querunt avidissimè quæ sua sunt, & dulcissimam legem noui testamenti mei, præ membrorum lege, contemnunt. Honores, & voluptates, tanquàm tauri pingues, vehementer sectantur: nequè disciplinam meam aure cordis percipere volunt. Væ innumerabili genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, qui ab alienati sunt retrorsum, impingentes in vijs suis, & vuas acerbis bonorum temporalium comedere festinantes. Viæ supernæ Sion lugent, eo quòd non sint, qui veniant ad æternum sabbatismum, vbi gemitus, & dolor non erit amplius. Infernus dilatauit os suum, vt fortes, & pingues terræ deglutiret: innumerabilis enim populus descendit ad eum. Iusti vero mei è multis millibus electi, rarò splendent in sæculi huius nocte, vbi sunt tenebræ palpabiles, similes illis, quæ oppresserunt Aegyptios inimicos meos. Seminaui ego colomus terræ, verbum meum, & tantummodo
quar-

quarta pars, in corde bono, & optimo, fructum attulit in patientia. Nihil autem homines magis oderunt, quam exercitia patientiæ: & propterea perdūt animas suas, quas in vera patientia possiderent. Stulti sunt valdè, non considerātes electorum signum esse, pressuram pati, cui succedit inæstimabile refrigerium, quod obliuioni tradit omnes mūdi pressuras, & dolores. Et enim mulier, cū parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: statim autem ac peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Quale ergo gaudium erit, quod succedit, quia natus est homo in Cælum? Filij, audite me: conamini, & arctam viam, mundis pedibus incedere, & ad beatissimum numerum paucorum fortissimè suspirate. Pro nihilo ducite, si ingrediatur putredo in ossibus vestris, & subter vos scateat, dummodo cum paucis electissimis ascendatis ad populum accinctum resurgētium, quorum formosissimis corporibus animæ gloriose cinguntur. Ne cadatis animo, quasi nimis arduum sit,
in illo

in illo numero felicissimo comprehendere: si enim legitime certetis (ut verè cum gratia mea valetis) inter ipsa prælia latari, & firmissimæ spei motibus exultare potestis, aspirantes ad palmam, cuius suauissimis fructibus, mecum in cœna magna, sine fine fruemini.

CAP. XVIII.

Monet semper ad Deum pro auxilio recurrere.

FILII nullus status, nullus locus, in vita mortali est adeò securus, ut ad me in horas singulas, pro auxilio gratiæ meæ recurrere non debeatis. Nam qualis status securior, quàm Apostolatus? & tamen cum ego duodecim elegerem, vnus ex eis diabolus effectus est. Qualis locus tutior, quàm paradysus, in quo posui hominem quem formaueram? & tamen Heua mater vestra respondit: serpens decepit me. Militia, sine induciis est vita hominis super terram: in qua & pusilli, & magni in multos errores, & peccata labuntur.
Propter

Propter quod cauete filij, ne sitis fidentes in vobis ipsis, quasi in summo periculo non versemini. Vapor est vita vestra, ad modicum apparens, & vento quolibet exterminatur, & anima corpore fragilissimo inclusa, sit sibi metipsum grauis; timereque debet instantem ruinam, ad quam sua fragilitas illam impellit. Orate ne intretis in temptationem, & cum hoc mundo damnemini. Multi sunt inter vos infirmi, & imbecilles, & saepe dormiunt multi serui mei, euigilate, & state succincti lumbos mentis vestrae, ne forte inopinata morte moriamini. Quærite me sollicite: venite, & reuertimini, die nocteque pulsate: aduersarius enim vester, sine requie circuit, quærens quem audissimè deuoret. Facite vobis speculam, & insidias hostium vestrorum explorantes, intimis gemitibus, brachium meum implorate. Oculi quippe mei erunt aperti, & aures meae erectae, ad orationem eius, qui in tribulatione sua fortiter clamauerit ad me. Qui cecidit, clamet, & resurgat qui stat, videat ne, cadat, & misericordem animam

animam meam vespere, & mane, & meridie, pulsare non cesset. Ego nomine dulcissimo vocor, Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Si ergo mala patimini, vel angustiimini; cor meum ciò pulsate, vt ex officio suo, in vestrum adiutorium intendat; & ad vos adiuuandos, hinnulorum more festinet. Recurrite ad me, & curram ego, vt vos eripiam à pressura vestra. Credite, vos non esse sufficientes, non solum mala vincere, sed ne cogitare aliquid piũ ex vobis, quasi ex vobis, & spem vestram omnem in visceribus misericordiæ meæ collocate: Et fidelissimo adiutorio vobis præsto ero, & de manu odiætium liberabo. Si corde puro requisieritis me, ego capillos capitis vestri numerabo, ne vnus pereat: si transferitis per ignem, flamma nõ lædet vestimenta vestra, & odor ignis non erit in vobis. Desiderium pauperum, inopiæ suæ cognitione clamantium exaudiam: & præparationem cordis eorum audiet propensissima ad preces humilium, auris mea.

CAP.

CAP. XIX.

Hortatur ad zelum animarum.

PER IT mundus, ô filij, & infinitus est numerus stultorum per viâ perditionis velociter currentium: & non est qui doleat vicem pereuntium. Ego fudi sanguinem meum, vt educerem homines de lacu miseræ, & de luto fecis, & statuerem supra firmam petrâ pedes eorum: & non est qui adimpleat ea, quæ desunt passionum mearum, in corpore meo, quod est Ecclesia. Nam de iis, qui foris sunt, mirum est, quanta sit obliuio, & alienatio mentis. Princeps tenebrarum Satan circuit terram, & perambulat eam, quasi Dominus, gloriaturque se innumerabiles populos prædari, & exiguum esse numerum eorum, qui salui fiunt. Et tamen multî serui mei, qui succurere possent paruulis petentibus panem, vel etiam iis, qui fame pereunt, & panem postulare nesciunt, non miserentur proximorum, quasi Deus non mandasset vnicuique de proximo suo: Quid dicam vobis serui mei, qui ad misericordiam specta-
K cule

culo pleno doloris non mouemini?
Quomodo non liquefiunt viscera ve-
stra super fratribus vestris, qui à facie
tempestatum famis deficientes clamāt,
Vbi est triticum, & vinum? Quomodo,
qui zelum habere videmini, non festi-
natis ad pauperculos ignorantes viam
Domini, vt dirigatis pedes eorum in
viam pacis? Crudeles estis Adæ filij, qui
tanta calamitate non mouemini ad sa-
lutem fratrum, per longas peregrina-
tiones, & navigationes quærendam.
Festinate filij ad morientes adiuuādos,
antequam expirēt, & claudatur ianua,
extendite conatus vestros vsque ad a-
lienigenas, & Tyrum, & populum Ae-
thiopum: vt per vos, quos tabescere fa-
cit zelus meus, annuntietur annus re-
demptionis in vniuersa terra. Quod si
talentum ad conuersionem animarum
non habetis; rogate saltem feruentissi-
mis suspiriis Dominum messis, vt mit-
tat operarios multos in messem suam;
vt sine zizaniis, congregetur purum
triticum in horreum eius. Beati eritis,
si & vos fideles serui mei fueritis, &
zelo domus meæ extimulati publicis,
vel

vel priuatis actionibus reduxeritis alios ad cultum, & amorem meum. Ego vos tenerrimè amabo: & quia fecistis rem hanc, nec vestrę commoditati, vel vitę pepercistis, multiplicabo filios vestros, & multa cum exultatione videbitis semen longæuum. Ego vos de prælio reuertentes amantissimè amplectar, vt in Ecclesia magna mea, sine fine mecum letemini, & bibatis de torrente infinitę voluptatis meę.

CAP. XX.

Monet Predicatores.

FILII charissimi, quos vocauì ad ministerium verbi mei, vt essetis initium aliquod creaturę spiritualis, cordis auribus audite me. Ego posui vos, vt fructum afferretis, & annuntiaretis verbum crucis, quod est Iudęis scandalum, & Gentilibus stultitia. Nam quia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit mihi, per stultitiã prædicationis, saluos facere credētes. Misi vos, vt me crucifixum, doloribus, & opprobriis saturatum prædicaretis, nõ

in sublimitate sermonis, aut in artificio, & sapientia hominum, sed in fortissima virtute Dei. Quomodo ergo sine Spiritu meo prophetatis, & effecti estis magistri prurientes auribus adulterantes eloquia casta mea? Quid est hoc? Quomodo audetis loqui in nomine meo, sectantes vanitatem humanę glorię, & quærentes hominibus placere? Diuinatis falsa, & profana multa sacris actionibus admiscetis: neque curatis quantum salutis operemini, sed quantum humanę laudis acquiratis. Væ vobis hypocritæ: Væ vobis sepulchra dealbata qui conscientię foetore pleni estis? Deberetis esse contemptores mundi, & verbum sanum, ac irreprehensibile, vitę innocentia, euangelizare; & imitantes me, prius facere quàm docere. Dicitis, & non facitis; & vanitas vitę, ac humanę scientię vestrę debilitat prædicationem meam. Sollicitè acquiritis scientiam, quę inflat, vt ostentetis illam: parum quę curatis charitatem meam, quę corda reformat, & ædificat Per vos blasphematur sanctissimum nomen meum,
quia

quia cum cognoueritis, quid agere debeatis, vacatis gloriæ hominum, & commoditati vestræ. Vrbes magnas, & honorabilia pulpita quæritis, vt à nobilibus, cum laude audiamini: & populos derelictos, vbi plebs mea fame perit non adiuuatis. Nunquid talis est prædicatio, quam elegi? Nunquid spiritus Domini non venit super me, & euangelizare pauperibus misit me Reuertimini ad cor filij mei, & castis cordibus, mundisque labiis: purissima testimonia mea nuntiate. Quid vobis proderit sonitus laudis humanæ, quæ statim euanescit? An à me laudem maiorem, si fideles præcones mei fueritis, non accipietis? Ne seruiatis terræ principibus, sed mihi, à quo mercedem amplissimam recipietis. Narrate simpliciter, ac feruenter nomen meum fratribus meis: in medio Ecclesiæ, puris cordibus, laudate me. Gaudete libertate filiorum Dei, & salutem animarum, dum dies est, instanter operamini. Prædicatē cum fiducia regnum meum, vbi reposita sunt vera gaudia vestra. Præliamini prælia Domini, & exemplo simul

ac verbo Urbis sanctæ ruinas reparate. Ego dabo verbū euangelizantibus virtute multa: vt mirabilia operemini, & post multiplicatam gentem, ad sedendum cum principibus terræ viuentium, victores ascendatis, & fruamini dulcissima pace mea.

CAP. XXI.

*Hortatur omnes ad verbum Dei
audiendum.*

AVDI Israel mandata vitæ: auri-
bus percipe, vt scias prudentiam.
Qui habetis corda ferrea, vel lapidea,
percipite verbum meum, quo emolli-
mini. Qui habetis corda carnea audite
sermone meos, & illustrabimini. Bea-
ti serui illi, quibus dulcescit verbum
meum, quo nutriuntur, quasi lacte ex-
presso ex vberibus meis. Erudiam eos
secreta instructione suauissimi spiri-
tus mei intus loquentis, & pacem di-
lectis meis nuntiantis. Non timebunt à
timore nocturno tenebrarum in-
teriorum, quia claritas Dei circum-
fulgebit

fulgebit illos. Non supplantabuntur
gressus eorum, quia super omnia via-
cit veritas, & firmabitur in illis forti-
tudo verissimi sermonis mei. Propter
quod, qui desideratis bonis caelestibus
abundare, pace intima, filiorum Dei
propria frui, & per vias rectas ad
patriam paradisi perducere, Verbum
Dei corporis, & cordis auribus fre-
quenter audite, & virtuti Dei laten-
ter operanti cedite. Cauete saeculi va-
nitatem, quae opera bona corrumpit.
Ne patiamini vos humana eloquen-
tia, vel eruditione, vel nouitate se-
duci; ut praedicatores talia dicentes
potius, quam idoneos verbi mini-
stros, & veros seruos meos humanae
laudis contemptores audiatis. Quari-
te pietatem, & compunctionem: cae-
lestia desideria pura intentione re-
quirite. Verba simplicia, spiritu Dei
plena, & ad conuertendas animas, ca-
sto zelo prolata diligite. Intermittite
negotia temporalia, ut sine sollicitu-
dine, & euagatione mentis, me per
meos praedicatores loquentem, corde

promptissimo intelligatis. Aperite sinus omnes animarum vestrarum, ut impleantur fortissima, & suauissima virtute mea, & fiat in vobis humilibus seruis meis, mutatio dexteræ excelsi. Si volueritis, & in mansuetudine susceperitis insitum verbum meum, quod potest saluare, & ineffabili consolatione implere animas vestras, conuertam ego captiuitatem vestram, in charissimam libertatem, & luctum in choros lætantium, & exultantiū à magnitudine bonitatis, & iucunditate visitationis meæ. Væ mundo à scandalis: excæcatum est enim cor filiorum eius, & aures eorum aggrauatæ sunt, ut videntes non videant, & audientes non intelligant verba vitæ. Certè sicut regnare patior hypocritam propter peccata populi: sic indignos prædicatores mundo permitto. Vos ergo filij, qui supplicium hoc grande timetis, quærite magistros dignos, quorum doctrina pascamini, & crescatis in salutem. Egredimini, & abite post vestigia gregum vestrorum, & eos ad salutaria pascua ducite, vbi herba mortiferæ non proueniunt,

ueniunt. Hæc sit pia, & mihi accepta exercitatio vestra: cui ego fideliter respondebo, dulcissimo pastu, & aqua limpidiſſima reficiens animas vestras.

CAP. XXII.

Monet omnes homines, vt frequenter in Cælestem patriam suspirent.

TRANSIT labor multitudinis ð filij mei, & sine fine manet suauissima pax vnitatis. Sæpe mutantur, & denique auferentur omnia tabernacula Iacob: sed in æternum stabit mansio altissimæ Sion, quæ est habitatio mea, & charissima patria vestra. Existimate ergo filij, vos peregrinos esse super terram spinas, & tribulos germinantem: & nullis bonis apparentibus cor vestrum adhærere sinentes, ad patriam vestram perenniter suspirate. Terra, quam calcatis, inimicorum vestrorum regio est, vbi dolor, & gemitus, & mors per peccatum regnant. Quid igitur boni in ea colligere vultis? Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Vineam alienam est, vbi non valetis

letis vindemiare nisi botros amarissimos. Beatus vir, quem erudierit Dominus, & de lege sua docuerit eum. Beatus qui benè percepta eruditione mea, cognoscit calamitatem vitæ præsentis, in quam per peccatum, & lachrymas, introiuit, & ad statum vitæ beatæ, quasi de profūdo aquarum multarum ferissimè clamat. Terra enim viuentium, ad quam per labores, & pressuras ascenditur, fertilissima est, & fructus dulcissimos habet. Ibi ver nouum æterno virore floret, & casta corda ciuium supernorum, sua amænitate lætificat. Ibi serenissima Coeli facies nullis nebulis offuscata resplendet. Ibi suavis valdè aura diuini spiritus mei viscera Iustorum exhilarat. Lætatur tota Ierusalem, & conuentum faciunt omnes, qui ardentissimè diligunt eam & & omnes mæstitias præteritas, infinita cōsolatione compensant. O charissimi filij mei, quàm inæstimabilia sunt gaudia mea: Surgite qui tristes iacetis, & in plateas Vrbs, quæ dicitur, Pacis visio cogitatione saltem ascendite, multisque affectibus amoris inter cho-
ros

ros canentium conuersamini. Utinam
nomē Ciuitatis meæ exaretur non cer-
tè stylo ferreo in plumbi lamina vel
dura silice, sed in libro cordis vestri, di-
gito spiritus mei, qui docet secretò in-
ffabilia mysteria mea. Eleuate capita
vestra filij Adę, & serenitatē Cęli, quod
extēdi sicut pellem per interualla sal-
tem contemplantini, vt spiritus diri-
gatur in atria mea, & amore feruentis-
simo deficiat. Projicite à vobis iugum
seruitutis, qua sine requie laboratis: &
ad privilegia domus meę innumerabi-
libus cordis ascensionibus aspirate.
Hęc sit perennis cogitatio, & sollici-
tudo vestra, quæ omnem mundi conso-
lationē excludat, & corda clamātia, ex
lōgo itinere fatigata, refrigeret. Aspi-
citē è valle lachrymarum, verticē mō-
tis sancti mei, & quasi pedibus ceruo-
rum ad eius summitatem properate. Et
ego vos currentes comitabor, & ge-
nua tremētia roborabo: & implebo
viscera vestra torrente purissi-
mæ voluptatis meæ.

QVINTA PARS
VBI AGITVR DE IIS,
quæ mouent ad amorem
Dei.

CAP. I.

Quanti ponderis sit amor Dei.

P RIMUM, & maximum
mandatum dulcissimę le-
gis, quæ est propria noui
testamenti mei, in amore
summo positum est. Ratio
quippe postulat, charissimi filij, vt sũ-
mmum, & incommutabile bonum sum-
mo amore diligatur. Quod si benè cõ-
sideretis, apparebit oculis cordis vestri
infinita dignitas Maiestatis meæ, im-
mensa bonitas, & suauissima pulchri-
tudo formæ Dei; quæ amorem fortis-
simum excitabit. Inuenietis enim the-
saurum diuinæ bonitatis absconditum
in terra purissimę carnis meæ, & corda
vestra tantæ consolationis magnitudi-
ne conuicta cognoscent, inestimabiles
esse diuitias amoris mei. Certè si scire-
tis quanta sit diuinæ dilectionis altitu-
do, la.

do, latitudo, profunditas, & longitudo; cito relinqueretis omnia mundi bona, & pateremini omnia mala, vt Pacifici Regis, cuius vultum deprecantur omnes diuites plebis, amore inflammaremini. Per amorem infiniti decoris mei, accedit homo ad cor altū, cuius ascensionibus exaltatur Deus. Amor meus melle dulcior, & auro obrizo pretiosior cor eleuat; vt arbitretur omnia, quasi stercora, & me solum vitam, & fortitudinem suam auidissimè lucrifaciat. Amor tanquam ignis, non comburens, sed illuminans, figit in solo decore meo, desideria cordis peregrini, atquē solliciti, faciem meam sine fine requirentis. Beati amici mei, quorum totum opus dilectio est, quorū casta corda nutrimento amoris alūtur: mirabili quippè transformatione mutabuntur in me. Ego ero tota illorū salus, & voluptas, nec patiar illos diuertī ab amplexu meo. Erunt quasi catus leonis, quos dulcissimo somno accubantes, nemo suscitare audebit: ego enim præcipiam, ne suscitentur donec ipsi velint. Vigilabit cor eorum dor-

mentium, æterna vigilia charitatis, sollicita præcordia ad amorem impellentis. Hæc est pars quærentium me, & vendentium omnia bona sua, pro primogenita dilectione mea. Propter quod, dilectissimi filij, non deberetis permittere somnum oculis vestris, & palpebris vestris dormitationem, donec inueniretis pretiosissimum amorem meum, multis laboribus exquisitum ad fabricam ferculi Salomonis; qui media ferculi, suauissima charitate cupit ornare, propter filias Ierusalem. Hæc meditamini filij, & totis visceribus corda vestra mihi præparate, ut amore vestro allectus, recliner in eis, tanquam sponsus in thalamo suo.

CAP. I I.

De sapientia Christi.

PARVA illa sapientia, quam homines inter tenebras ignorantia, in scholis discunt, eos apud alios homines adeo mirabiles, & amabiles facit, ut eorum gratiam captare, & secum habere, etiam principes terræ cuxent. Quid ergo facere deberetis filij
erga

erga me, in quo sunt omnes thesauri
sapientiæ, & scientiæ Dei. Ego altissi-
ma sapientia ab initio, & ante sæculum
creata sum; intuituq; meo, omnia Dei
opera, & omnia inenarrabilia Dei se-
creta contemplor. Ego numero are-
maris, & multitudinem stellarum,
omnibus eis nomina voco. Ego nun-
quid guttas aquæ maris, & profundum
abyssi penetraui. Ego cum Patre,
& spiritu meo feci Coelos in intellectu,
& certa lege, ac gyro maris undas val-
laui, ne transirent fines suos. Omnia
composui, in numero, pondere, & mē-
sura, vocans ea quæ non sunt, sicut ea,
quæ sunt, lustrans omnia limpidissimis
oculis meis. Ego comprehendo sapien-
tes in astutia sua; nequè est, qui se ab-
scondat à conspectu meo. Ego abscon-
do ineffabilia mysteria diuinitatis, &
humanitatis meæ mundi sapientibus,
& prudentibus; & reuelo incerta, &
occulta mea paruulis, ut non glorie-
tur coram me omnis caro. Beatus
qui audit me, & vigilat ad fores
meas quotidie, & obseruat ad postes
ostij

ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet
immortalem, & dulcissimã vitam, &
hauriet pretiosissimam salutem à Do-
mino. Si ergo sapientiam æstimatis fi-
lij, me sapientiam æternam totis viri-
bus fortissimè diligite, & splendorem
meum sole clariorem, suauitatemque
meam omnibus mundi voluptatibus
maiores, die, nocteque requirite. A-
scēdite multis cordis erectionibus ad
secretam scholam sapientiæ, vbi, cum
mundi contemptu, gustetis saporem
meū. Orate viriliter, & pulsate vt ape-
riantur oculi vestri, ad videndam lucē
formosissimam, cuius comparatione,
non splendent astra matutina. Sanctifi-
camini, & estote parati, vt accedentes
ad me illuminemini, & seraphicis flā-
mis ardeatis. Interim verò, dum solo
auditu accipitis famam sapientiæ, quæ
omni thesauro amabilior est, finite vos
trahi post me, & amoris gressibus ad
me cupidissimè properate. Ego vos fi-
deles seruos meos in abscondito doce-
bo mirabilia magna, & implebo spiri-
tu sapientiæ, & intellectus, casta & hu-
milia corda vestra.

CAP.

CAP. III.

De nobilitate Christi.

ADORANT homines nobilitatem generis, incredibili eius amore capti, quasi splendor quidam humanæ conditionis sit. Gloriantur antiquitate paucorum dierum, & rebus gestis maiorum suorum ipsi superbiunt: & tamē ob solam hereditariam nobilitatem amantur, & in admiratione habentur. Si ergo cor hominis tam facilè trahitur amore nobilitatis, quale consilium est, me qui sum ipsa nobilitas, non amare? Ego sum antiquus dierum, claritas ipsa, & candor lucis æternæ, quæ nullis nebulis obscurari potest. Sum altissimi filius, ante quem non est formatus Deus. Sum clarissimū Lumen de lumine, à quo splendor omnis creatus deriuatur, Nihil est in me, quod nō sit excelsum, & splēdidum: nihil, quod rege clarissimo non sit dignum. Nella obscuritas, nulla culpæ nota, nulla reprehensio, vel in me, vel in operibus meis vnquam inuenta est. Non habeo ego insignia nobilitatis, qualia homines ex

nes ex leonibus, vel Aquilis assumunt, vt significant animorum magnitudinē vel fortitudinem: ego enim sum ipsa magnitudo, & fortitudo, quæ non ornatur extrinseco apparatu. Ego feci, vt oriretur in Cælis lumen indeficiens: Ego æthera firmaui sursum, & libraui fontes aquarum. Ego quando carnem vestram è stirpe regia assumpsi, percussi sicut vulneratum superbum, mortem occidi, infernumque momordi. Ego eduxi vinc̄tos de lacu, in quo non erat aqua, in sanguine noui testamenti mei: & portas æreas, vectesque ferreos in brachio excelso contregi. Ego alligauī fortem armatum, & spolia eius diripui: gloriosissimoque triumpho ascendens in altum captiuam duxi captiuitatē. Omnia opera mea, distincta saphiris quasi cælestibus signis, diuina nobilitate clarescunt. Considerate nūc filij, quā sim amabilis ex hoc capite nobilitatis, siue naturam diuinam, siue humanam, siue gesta mea contemmini: Vt mihi totis visceribus adhærere, & à me nunquam separari studiosissime curetis. Si feceritis quæ præcipio vobis

vobis accedentes ad me, illustrabimini
cælesti nobilitate mea, quæ omnem
infamix indignitatem maculamque
detergit. Induam vos purpura arden-
tissimæ charitatis, & bysso purissimæ
innocentiæ meæ: vt inter patritios Ie-
rusalem, qui vestiuntur croceis, nume-
rèmini, & ornatu regio honestati,
splendoribusque sanctorum amicti, in
aula Regis Pacifici, cui seruiunt omnia
corda nobilia in cælo, & in terra, al-
tissimè conuersemini.

CAP. IV.

De liberalitate Christi.

CERTISSIMUM vobis est, Adæ fi-
lij, in liberalitate principum,
magnum pondus amoris esse. Non e-
nim puro illorum intuitu, sed lucri aut
commodi vestri respectu seruitis durã
seruitutem Iam ergo, si lucra sectami-
ni sicut mercatores, qui quærunt, quæ
sua sunt; vel hac ipsa ratione dili-
gite me, & mandata mea fidelissimè
seruate. Ego enim sum Dominus v-
niuersorum, cuius thesauri exhauri-
ri non possunt. Meus est orbis ter-
ræ, & plenitudo eius, recensui
omnia

omnia volatilia Cæli, & fæcunditas agri mecū est. Ego facio pinguescere speciosa deserti, & cāpos repleri facio vbertate. Ego Altissimus diuido gētes, separoq; filios Adā: & assigno illis terrā in mensura, in funiculo distributionis. Omnia à me expectant, vt dem illis escam salutarem in tempore, & mittam optatam saturitatem in animas eorū. Et siue honor, siue vtilitas, siue voluptas requiratur, ego super omnes reges terræ, ditabo & delectabo, & honorificabo fideles amicos meos. Legite filij, attentè dulcissimas scripturas meas, & recolite suauissimum Euāgelium noui fæderis mei: & mirabimini liberalitatē Vnigeniti filij Dei, cum hominibus cōuersantis. Quis vnquā hominum rogauit me, super quo non commouerētur viscera mea: vt donarē quę postulauit, vel meliora quam sciret postulare? Curaui languidos eorum: mundaui leprosos eorū, suscitauī mortuos ipsorum: paui turbas populorum: & quod summum est, ad vnum suspirium dimisi grauiissima debita peccatorum: quid ergo est, quod corda hominum nimis auara

auara non capiuntur infinita liberalitate mea? Usquequo non benè sentient de me filij Adæ, & saltem ob munera Regem Ierusalem non amabunt? Ego subieci omnia sub pedibus vestris, vt nõ, solum terra, sed & sol, luna, & cæli Coelorum, opera digitorum meorum, seruirent vobis, paratus, (si hæc parua vobis videantur) dare quoque maiora: quare ergo non mouemini muneribus, & diligitis amplissimas opes vestras? Filij mei, duri corde, respiscite, & infinita liberalitate mea emolliri vos finite: nam, & feræ hac lege mansuescerent. Sequimini me, & cultum magni nominis mei, fiduciæ principum mortalium anteponte: & ego faciã vobis in Israel domos absque tributo. Multiplicabitur hæreditas Domini: & cõfecto vitæ cursu, ascendetis ad me de terra deserta, diuitiis, & castissimis delitiis affluentes, onerati spoliis dulcissimæ charitatis meæ.

CAP. V.

De Pulchritudine Christi.

EXPERIMENTO cognouistis,
charissimi filij, nihil esse amabilius

quandam admirabilem, qua efficaciter, & suauiter corda capit. Huic omnes principes terræ sponte seruiunt, etsi potentes, & fortes sint: quia fortior est pulchritudo. Cùm ergo ego Vnigenitus Dei filius decorem indutus sim, & nihil in me inueniri possit, quod amabilissimam, & infinita suauitate præstantem formam non deceat; mirum est, quomodo vniuersi homines me non ardentissimè diligant, & fortissimè adhæreat anima eorū post me. Sum candidus, & rubicundus, electus ex millibus & summis desideriis non solum à filiabus Ierusalem, sed à Virginibus Tyri expetitus, propter absolutissimum decorem, & honestatem meam. Filia Regum, in honore meo, me studiosissimè requirūt: & nobilior christiani populi pars, quæ puellis speciosissimis, & adolescentibus formam elegantissimam præditis constat, cum alto mundi contemptu, me secuta est. Nō enim solū forma Dei, qua spiritus beati, animæque gloriosæ capiuntur, sed forma hominis, quam pro vobis assumpsi, dulcissima pulchritudine,
corda

corda casta suspendit; & omnem mundi gratiam contemptibilem facit. Si semel aspiceretis, filij, candorem purissimum corporis mei, quo vestri oculi corporei in ciuitate primogenita, delectandi sunt; dicto, citius, sperneretis omnem carnis venustatem, quæ filiis huius sæculi, super diuitias, & honores, amabilis, suavisque videtur, Omnia corda decor ille |vultus| mei, quæ reginæ cupierunt, emolliret & vel vno oculorum meorum viscera vestra vulnerarem. Cogitate si valetis Maiestatem meam, & staturam illam assumulatam palmæ, quæ eminent super choros Angelorū, dum filius hominis, speciosus forma, sedet à dexteris Dei. Extollite corda in spectaculum illud, quod post labores, & sudores inæstimabili cum voluptate, visuri estis, vt lætemini, & satiemini castissimis delitiis meis. Quid moramini, filij? curritis post me tracti ineffabili gratia, & suauitate mea? Detestamini consortia liarum Moab, & Sidoniarum connubia prohibita vitate, diligite serenitatem Cœli, & formam meam candidissimam,

simam, & splendidissimam, qua nihil dulcius, & delectabilius cogitari potest, seraphicis ardoribus amate. Et ego Cælo serenior, & sole formosior, ero delitiosissima præda vestra.

CAP. VI.

De suavitate communicationis Christi.

SVAVITAS conuersationis filij, charissimi, studiosissimè desiderari, & amari solet, & hæc ratio est, ob quã homines quantumuis deformes, in magno pretio habentur. Trahunt enim dulcedine mirabili alios, dum loquuntur, & cum eis versantur, quod experientia notissimum est. Si ergo hæc est hominum conditio, quid est, quod me, cuius conuersatio melle dulcior est, paucissimi filij Adæ requirunt? Ego mitissimè recipio omnes veniētes ad me: & à sæculo non est auditum, quod aliquem mihi adherere cupientem repellerem, vel importunitate molestarer. Ego cum infinita lenitate tracto, quos recepi, & illos benignissimè recreo. Ego dum loquor eis ad cor statuo procellas eorum in auram, & tristitiam omnem

omnem conuerto in intima, & purissima gaudia mea. Diffusa est enim gratia in labiis meis, quorum melle, & lacte arida quoque ossa rigantur, & penè mortua, latissima viuificatione resurgunt. Ego fessis labore amicis meis pono læuam sub capite inclinato, & circumducta dextera amantissimè amplector illos, vt humiles, & pauperculos adstringam visceribus meis. Utinam homines scaperent, & intelligerēt magnitudinem dulcedinis, quæ percipitur in secreta communicatione mea. Certè nollent amicos alios, vel consanguineos habere: sed toto corde suo, suspirarent ad me, omnisque illorum sollicitudo esset, ne fortè proijcerem eos à formosissima facie, & dulcissima conuersatione mea. Interrogate filij, eos qui vel semel tantū mecum conuersati sunt in secreto meo; & videbitis, quibus flammis ardeant, & quoties aspirent, ad præguſtatam consolationē, cuius comparatione, omnia mundi delectamenta vilescunt. Vno enim verbo, soleo ego animarum perturbationem inferno similem sedare; vnoque

L

similiter

fimiliter verbo multorū annorū prefuras abundanter compenso. Vox dilecti viscera dilatat, & cælesti delectatione replet. Iam ergo filij mei, respuite hominum cōmunicationem, & Altissimo filio totis visceribus intentissimè vacate. Quærite lectulum Salomonis, & domum odoratam, cuius tigna sunt cedrina, & laquearia cypressina: & spretis hominum oblectamentis, diligite me, & percipite, clauso cubiculo, purissimas delicias absconditæ amicitiaæ meæ.

CAP. VII.

De amore Christi erga homines.

TANTA est, filij charissimi, magnitudo amoris mei erga vos, ut hæc sola potens sit ad corda ferrea mollienda. In charitatē perpetua dilexi vos, usque in finem, ita ut amor non posset ultra procedere. Dedi pro vobis, factus Redemptor, & frater vester, omnē substantiam domus meæ: & quasi nihil despexi eam, quando in ciuitate regia, & sacerdotali, operatus sum pretiosissimā salutem vestram. Beatus qui intelligit diuitias charitatis meæ,
quia

quia cognoscens se amore meo gratis
præuentum, in lachrymas dilectionis
resoluetur à fortitudine caloris mei.
Dicite mihi filij, quantus amor fuit il-
le, qui me è sinu Clementissimi Patris
mei ad rusticitatem vestram descende-
re fecit, vt essem tanquàm malus dul-
cissimi fructus, inter acerba ligna syl-
uarum? Quis vnquam audiuit talia, vt
altissimus Dei filius, cuius aspectu sol
obscuratur, & à cuius magnitudine Se-
raphim velant facies suas, fieret sacer-
dos hominum, secundū ordinem Mel-
chisedech? Quis ab initio mundi cogi-
tasset ardores æternos, quibus arserūt
viscera misericordiæ Dei vestri, in
quibus visitauit vos oriens ex alto? Vt-
quequò non mitescent filij mei, infide-
lia corda vestra? Postulate quicquid
honestū est, si amor meus, quē tot labo-
ribus, & muneribus ostēdi, nō emollit
animas vestras, quid enim negabitur
vobis, pro quibus Vnigenitus Dei fili-
us homo, & amicus hominis factus
est? Quomodo obscuratum est au-
rum puri amoris mei, qui iam
non inuenitur in terra, quam dedi

filiis hominum, qui recesserunt à me? Fuerunt olim multi chori canentium canticum Regis Pacifici, & cupiētium fortissimè adherere mihi ligati funibus prioris charitatis meę: Nunc verò, rarò valdè, vnus è multis millibus requirit, vt par esset, formosissimam lucem, & suauissimam præsentiam meã. Ego vos deformes, abiectos, & ingratos amavi, & pro vobis sacrificauì dilectam animam meã: quare ergo, me decorum supra omnem mundi pulchritudinem; excelsissimum supra omnem mundi gloriam, humanissimum supra omnem mundi mundanorum Regum clementiam, non amatis? Conuertimini, saltem nunc ad me, & deposita cordis feritate mitescite: vt amor, qui omnia vincit, pectora vestra hucusq; frigida, & obdurata, vitali calore dulcissimi spiritus mei, & inæstimabili delectatione commoueat.

CAP. VIII.

De amoris munere, quod est Beatissima Virgo.

DVRI nimis estis Adæ filij, si filia
Sion,

Sion, & prudentissima Virgo, quæ genuit me, ad amorem meum, nõ inflammat pectora vestra. Quid enim non donavi vobis, quãdo speciosam sicut columbã, & formosam sicut Ierusalẽ cõstitui mitissimam Reginam, & matrem vestram? Cãdor ille purissimus, in quo lucet innocentia mea, quale saxum nõ emolliat? Aspiciate Coeli Dominam, rubentem super flores rosarum, candidamque super lilia conuallium, & admiramini pulchritudinem illam, quæ totius vrbs sanctæ corda delectat, & quasi fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et considerantes vos esse adoptatos in charissimos filios eius, ac dilectissimos fratres meos, amare ac desiderare me tandem incipite. An oculi illi misericordes, ad labores vestros semper conuersi, purissima castitate, & amoris suauitate præstantes, animas vestras non commoueant, & ad auctorem tantiboni nõ cõuertant? Ascendite ad me per scalam istam dulcissimæ charitatis gradibus constructam: vt mihi per illam conciliemini. Considerate quantum apud Regem Salo-

monem gratia valeat niue cādidior eius genitrix, quę astitit à dextris eius in vestitu deaurato: & tam ineffabilē decorē, totis visceribus, medullisque diligite. Hęc est mater nostra, dicite, per quam accessum habemus ad primogenitum filium eius. Ascendamus in palmam, & colligamus suauissimū fructū, quo nutriamur, & exulemus à botris infinitę consolationis eius. Odorami ni filij mei, cinnamomum, & balsamū, cuius odore delectemini, & ad pueros amoris mei affectus afficiamini, tracti catena dilectionis, è Regina Sion pulchritudine nascentis. Si tenerrimę genitricis meę forma capiamini, per eā similitudinem introducemini ad diuinum decorem meum, in cuius aspectu luminaria Coeli magna tenebescunt. Beati eritis filij, si filiam principis, per plateam Ierusalem, incessu graui gradientem, post quam multa millia Virginum lilia gestantium Regi afferuntur, contemplari, & amabilissima eius gratia trahi curetis. Ibi enim me tanquā in speculo purissimo lucentem videbitis: & (quod à vobis posco) charitatis

ritatis meæ iaculis vulnerati amabitis,
& ardebitis inextinguibili, ac dulcissi-
mo incendio castissimi amoris mei.

C A P. I X.

De perfecto Discipulo Christi.

ILLE perfectus meus discipulus est,
charissimi filij, qui abnegato pro-
prio iudicio, nihil se scire existimans,
mitissimo corde versatur in schola
mea, audiens quid loquatur in ipso
Dominus Deus, & certò cõfidens, quia
loquetur pacem in plebem suam. Non
disputat, nec speculatur; sed pro omni
ratione fortissima, sufficit ei voluntas
mea, in cuius executione, disciplina
pacis posita est. Non ratiocinatur, nisi
quod necessarium est, donec agnoscat
quid velim ego: & statim redigit in
captiuitatem intellectum, omnem sa-
pientiam suam constituens in simplici
adimpletione dulcissimi mandati
mei. Sic ego, amore infinito, pro-
tego eum, & per terram desertam
deduco, quemadmodum deduxi, fi-
cut

cut ouem Ioseph. Nequè desiderari potest maior prudentia in homine, qui ignorat an odio vel amore dignus sit, & nescit finem suum; quàm humiliter audire me, neque rationem mandatorum meorum requirere, sed fidelissima obedientia obtemperare mihi. Ego enim erudio casta, & humilia corda, tanquam singulorum pædagogus. Constituit quippe me clementissimus Pater meus dominum domus suæ: ut erudirem non solùm principes terræ, sicut memetipsum, verumetiam ut iuuenes, & senes eius, pauperes, & abiectos eius prudentiam docerem. Beatus cuius Deus adiutor, & magister est: iactabit enim pondus suum in eum, & confidet, quasi leo, ac viam mandatorum meorum, pace multa, percurret. Abijcite ergo filij doctrinas hominū, quæ ad æternitatem non proficiunt: & instructionem meam toto corde percipite. Vacate, & videte, quàm suavis sit dilectio, & sapientia mea: & ad prudentiam iustorum discendam, furtiuis horis, vos mundo subtrahite, eiusque negotiatores, pia fictione seducite. Ego ve-

go ve-

go veniam citò, rationem ponere cum
 seruis meis: & sedebo conflans, & e-
 mundans argentum, purgaboque filios
 Leui, quorum hæreditas, studium æter-
 ni, ac summi boni, & melle dulcior di-
 lectio est. Præcingite lumbos purissi-
 ma castitate, & lucernas accensas cor-
 dis vigilia tenentes, estote parati oc-
 currere mihi: & recipietis coronas cã-
 didissima luce splendentes, vt inter
 principes terræ viuentium honoremi-
 ni, sedebitis mecum ad lautissimam, &
 dulcissimis epulis instructam mensam
 meam: & dabitur vobis à labore mor-
 talitatis requiescere, in delitiosissimo
 thalamo sempiterni amoris mei.

EPISTOLA PRO VE-
 RO AC PVRO DEI AMORE
 IMPETRANDO.

PACIFICO REGI COR-
 dium Iesu Christo exul homo. S.

MITISSIME & amantissime Iesu
 Christe, qui cordium regnum, fa-
 ctus homo comparasti nõ ferro, sed ligno.
 Scio quid à me iure strictissimo requiras
 per legem immaculatam, & conuertentẽ
 L 5 animas

animas, propriam noui, & æterni testamē-
ti tui. Postulas enim primo, ac dulcissimo
mandato legis tuæ, vt diligam te, ex toto
corde, tota mente, tota anima, ex tota for-
titudine mea: omnes quippè vires meę de-
bētur infinitæ bonitati, & decori tuo. Be-
ne est, ô fili Dei Altissimi, vt vinculis cha-
ritatis, & funiculis Adam, velis astringere
me creaturam tuam, inter filios alienos,
tuis inspirationibus tam sæpe rebellem.
Nūc autem magni mandati tui desiderio
ductus, & cordis mei ad peregrinas volu-
ptates inclinati fragilitatem cognoscens,
prosterne me tibi in Ecclesia tua, & pulso
magnam misericordiam tuam, vt hyssopo
asperfus, mundus, & super niuem dealba-
tus, charitatis gressibus, & brachiis se-
quar, & amplectar te. Recordare. dulcissi-
me fili Dei, cui suspirant viscera mea, me
vnū esse de paruulis, qui ducti sunt in ca-
ptiuitatem, ante faciem tribulantis, & te
Redemptorem esse, cuius est soluere con-
peditos. Oro igitur, ô mansuetissime, sol-
ue me. De profundis cordis mei ô benignis-
simè clamo ad te, vt hominem de immun-
do conceptū semine, mundum facias: nec
finas in amoris causa seduci, & pro sūmo
decore tuo, mundi decorē apparentē affe-
ctare. Sollicitum cor meum, tibi soli pa-
teat cōditori suo: & tu, qui solus es omne
bonum,

bonū , expleas omnes sinus eius & in æternum domineris illi. Animaduerto , ô fili Dei formosissime , præfenti & fallaci carnis gratia , vehementer affici parum castos sensus meos , & ad amabilissimam formam tuam , quod absens sit , lentè nimis aspirare , ardentissimè igitur obsecro te suavissime Deus , per cor fidelissimum intemeratę matris tuę , vt auferas à me amorem vanissimum corporeę pulchritudinis , & me totum transferas ad purissimum amorem decoris tui. O serenissime candor cordis mei , ne projicias me à facie tua : & à fallaci creaturę gratia , vt pupillam oculi custodi me. Sordeat mihi , rogo te , figura mundi , quę præterit , & post immortalē pulchritudinem tuam , in odorem vnguentorum tuorum , trahere me. Illabere , precor te , in penetralia cordis mei : & imprime mihi seruo tuo dulcissimam , atque latissimam formam tuam. O pulchritudo maiestate plena , quę amorem immensum in corda tibi patentia infundis , tantummodò in ista voce exaudi me. Ne patiaris , ô suavissime spōse animę meę , cor meū quod nō valet inuenire pascua sua eterna fame torqueri : sed dū in exilio versor , doce me viam rectam , quę perducatur me in optatissimam requiē formę tuę , vt pascatur dulcissimo pastu præfentis tuę. Auerte oculos meos ,

ne videant vanitatem filiarum Madian,
quæ me diuertunt à perpetua recordatio-
ne formosissimi vultus tui, cui filia Sion
purpura vestita consecrarunt præcordia
sua: & redime me à calūniis, & fraudibus
filiorum Adæ; qui verum Deum meū cum
diis alienis tristi mercatura cōmutant. Tu
solus ductor meus, & custos cordis mei sis:
vt exardescā siti solius bonitatis, & deco-
ris tui, & fortiter repellā quicquid obstat
sincerissimo amoris tuo. Illustra faciē tuā
super cor anxium serui tui: vt capiatur spe-
cie tua, & pulchritudine tua, quam corda
casta requirunt. Ne repellas, Altissime De-
us cordis mei, animam meam satagētē, &
acutissimis gemitibus, cēlos tuos penetra-
re conantem ne fortē, virtute eius deficiē-
te, foedus ineat cum Chaldæis, & obliui-
scatur dulcissimam Ierusalē, quam requi-
ro. O vitalissima fortitudo animæ meæ, ne
contemnas cupientem adhærere tibi, & a-
moris æterni tui facibus inflādari: & im-
molabo tibi primogenita suspiria mea, &
adhæsura tibi semper viscera mea. Accele-
ra, precor te, ô pretiosissima hæreditas, &
præda mea, & sensus meos visco carnis im-
peditos erue citò de luto fēcis: vt impol-
lutis affectibus exquirant te melle dulcio-
rē pastum suum, & expectatissimam con-
solationem suā. Libera me iam de sangui-
nibus,

nibus, amabilissime Deus salutis meæ, & spiritū rectum, & castum puri amoris tui, innoua in visceribus meis: vt stāte hoc austro tuo creer, & renouetur facies aridæ terræ meæ. O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodijsti, cuius inæstimabili suauitate dura corda liquescunt: influe, oro te, in sicca nimis ossa mea, & liquefac intimas, & tibi soli notas medullas meas. Per amoris fœdera, quæ fidelissimè seruas, nobilissime Rex Sion, montis sancti tui, obsecro te, fac me seruū emptitiū, aut bello captū tenerrimi cordis tui: vt perenniter seruiam tibi, & libera seruitute dilectionis, requiram infinitam bonitatem, & serenissimā faciem tuam. Tibi dixit cor meum: exquisuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Quocirca, rogo te, ô speciosissime formâ præ filiis hominū, numeres me in generatione casta quærentiū Deū, quærentiū faciē splēdidissimā Dei Iacob. Vre, tibi supplico, ô amantissimè fili Dei, renes meos, & cor meū igne tuo, & repurga à fœcibus animam meam. vt sine consorte villo, possideas lacte ablutam prædam tuā. Curre velociter, ô hinnule ceruorū, & expetita valde salus mea: & eripe me de manu filiorum alienorum, à studio diuini amoris tui alienare quærentium animam meam: & fac, vt in concilio iustorū, & cō-

gregatione, reddam tibi primitias cordis mei. Inclina cor meum presentiae tuae cupidissimum in desiderabilia super aurum, & examinata sicut argentum, ac dulciora super mel & fauum testimonia tua; & fac me diligere amore pregnantem, & immaculatam legem dulcissime charitatis tuae. Perfla hortum meum, cuius flores languent, spiritu vitali tuo: ut fluant aromata illius, praesubitanea liquefactione suavissimae dilectionis tuae. Convertere aliquantulum, o purissimum speculum vultus mei, & fac mihi copiam voluptate plenam praesentiae tuae: & in ara cordis mei, quae fumat tibi, ineamus fœdus sempiternum honestissimae, ac delectatione diuitis dexteræ tuae. Emitte formosam valde manum tuam de alto, ut sollicitet, amoris stimulo, viscera mea: & fac, ut exul fleam, & suspirem ad patriam meam, & redire curem ad te, optatissimam & pretiosissimam libertatem meam. Considera, oro te, o immensa opulentia mea egestatem animæ meæ, modicam aquam pretio comparantis, & in deserto, ubi non est charitatis habitatio per loca horrida aberrantis: & refrigera linguam meam, ac deduc me in ciuitatem habitationis, quæ construitur æterna dilectione tua. Cesset iam o, mansuetissime, indignatio tua, ad quam te prouocauit ingratitude mea: quiescat ira dulcissimi cordis tui, ubi

nidū inuenire cupit hæc vaga colūba ani-
mæ meæ: & vocabo te summā cōsolationē
meā, & spōsū electissimū, cui reddā coniu-
gale debitum cordis mei. Certior factus
sum de fidelissimo erga me, amore tuo V-
nigenite fili Dei: & ideo, non tam quæro,
vt ames, quàm vt ardētissimè ameris à me
ingratissimo seruo tuo, quē à dura capti-
uitate redemisti pretio magno nobilissimi
sanguinis tui. Seda, precor, iā multis pro-
cellis passionum, & tētationum agitata
animam meam, qui circundas mare ter-
minis, ponisque vestes, & ostia dicens:
Hucusque venies, nec procedes ampliùs,
& hic cōfringes rumentes fluctus tuos. Et
per breuem saltem requiem, omnibus vi-
ribus meis conuenientibus in vnum, vali-
dissimè amabo te suauissimum Deum me-
um, & è multis millibus electum amicum
meum. Faciamus iam pactum dilectionis
permāsuræ, ô fortissime: vt sicut charitate
perpetua dilexisti, & attraxisti me, ita ego
dilectione perēni requirā, & attrahā te in-
finitū decorē meū. Ingenera mihi celeriter
ô amator inuictissime, magnitudinē cor-
dis amæna, & amabilia omnia respuentis,
propter te: vt exultē, sicut gigas, ad currē-
dā viā, donec requiescā in te. Arma me, ô
robustissime, virib⁹ amoris tui omnia ad se
trahētis, & lapidea corda, in carnea con-
uerteb-

256 *De Prudentia iustorum.*

uertentis. vt fortis fiam fortitudine tua,
 & fiam misericors à teneritudine, & fuaui-
 rate tua. Confla me, ô sapientiffime, quali
 aurû, & scoriã veteris Adæ patris mei, cõ-
 fume igne sapiētia tuæ: quæ mirabili mix-
 tione pascit incendium tuû, flumine viuo,
 cum impetu decurrere è peneeralibus dul-
 ciffimi cordis tui. Insculpe, ô potētiffime,
 duro nimis cordi meo, elegātiffimã, & se-
 reno Cælo fimillimã præfentiam tuã, ad-
 ditis quoque multis vulneribus per iacu-
 la charitatis tuæ: & largo potu dulcedinis
 tuæ, recrea iam læfa, & tibi fufpirantia vi-
 fcera mea Deterge, ô fereniffime nebulas
 oculorum meorum in fæculi nocte caligã-
 tium, nec lucem formofiffimam vultus tui
 videre valentium, vt capiar decore tuo, &
 fempiternis ardoribus exquiram nobilif-
 fimam formam tuam. Hæc fit iugis medi-
 ratio & exercitatio mea. Hæc fit fecreta
 prudētia, & fortitudo mea Hic fit potus,
 & efca mea, & nutrimentû cordis mei. Le-
 ge amanter, ô amabiliffime candor lucis
 æternæ, hæc vota, & fufpiria mea, quæ in
 atriis domus tuæ, & in medio fuauiiffimæ
 Ierufalem, fificauit tibi: & excita fera-
 phicos affectus in auidiffimo decoris tui
 corde meo: Vt nihil vnquam quæram ni-
 fi placere tibi, & adhærere dulciffi-
 mæ animæ tuæ. Vale.

INDEX

I N D E X
M A T E R I A R V M,
Q V A E C O N T I N E N T V R I N
H O C O P E R E S I M V L -
que Capitum.

A

A d Affectuum abnegationem hortatur Iesus Christus. p. 1. cap. 1. fol. 107	
Ambitionem honoris fugiendam monet. p. 1. cap. 17.	38
amicitiam hominum declinandam docet. p. 1. cap. 14.	33
Amor Dei quanti sit ponderis p. 5. cap. 1.	228
Ad Amorem Dei hortatur. p. 2. cap. 5.	63
Ad Amorem proximi hortatur. p. 2. cap. 7.	68
Ad Auaritia odium hortatur. p. 1. cap. 18.	40

C

C astitatem hortatur Iesus Christus p. 2. cap. 9.	72
In Caestem patriam frequenter Iussuare homines monet. p. 4. cap. 22.	225
Christi amor erga homines p. 5. cap. 7.	204
Christi amoris munus, quod est Beatissima Virgo. p. 5. cap. 8.	206
Christi communicationis suauitas. p. 5. cap. 6.	240
Christi liberalitas p. 5. cap. 4.	235
Christi nobilitas. p. 5. cap. 3.	233
Christi Pulchritudo. p. 5. cap. 5	237
Christi	

I N D E X.

<i>Christi sapientia. p. 5. cap. 2.</i>	230
<i>Ad Communionem sacram hortatur. p. 3. cap. 9.</i>	126
<i>Compunctionem cordis monet. p. 1. cap. 24.</i>	50
<i>Ad Considerationem vite sue hortatur Iesus Christus. p. 3. cap. 19.</i>	151
<i>Contemplationem diuinarum perfectionum monet. p. 3. cap. 20.</i>	152
<i>Ad Conuersionem perfectam hortatur. p. 1. ca. 25.</i>	551
<i>Ad Cordis custodiam hortatur. p. 4. c. II.</i>	196

D

<i>Ad Desiderium summi boni hortatur Iesus Christus. p. 3. cap. 25.</i>	166
<i>Ad Deum pro auxilio recurrere monet. p. 4. ca. 18.</i>	214
<i>Diei primam partem orationi assignare hortatur. p. 3. cap. 5.</i>	117
<i>Ad diligentiam hortatur. p. 2. cap. 19.</i>	94
<i>Discipulus Christi perfectus. p. 5. cap. 9.</i>	247
<i>Diuites seculi hortatur. p. 4. cap. 9.</i>	191

E

<i>Aetatem primam per veras virtutes Deo consecrandam monet Christus. p. 2. cap. 2.</i>	56
--	----

F

<i>Ad Fidei exercitium hortatur Iesus Christus. cap. 3. p. 2.</i>	57
<i>Ad Fortitudinem hortatur. p. 2. cap. 15.</i>	34
<i>Gloria</i>	

I N D E X

G

- G**loria magnitudinem ponderat Iesus
Christus p. 1. cap. 9. 24
- In nullo bono gloriandum esse ostēdit p. 3. cap.
23. 161
- Ad Gratiam humiliter occultandam horta-
tur p. 3. cap. 22. 158
- Ad Gratitude[m] hortatur p. 2. cap. 14. 82
- Gula vitium fugiendum docet p. 1. cap. 16. 36

H

- Ad **H**umilitatem hortatur Iesus Chri-
stus p. 2. cap. 11 75

I

- Ad **I**ncarnationis mysterij considerationem
hortatur Iesus Christus p. 4. c. 13. 201
- De Ingratitudine hominum conqueritur p.
1. cap. 6. 19
- Ad Iniuriarum tolerantiam, & remissionem
hortatur p. 3. cap. 11. 131
- Inspirationibus diuinis respondere monet p. 3.
cap. 2. 109 (p. 3. cap. 3. 112)
- Intentionis puritatem in bonis operibus monet.
- Judicij timorem monet p. 1. cap. 22. 46
- Ad Iustitiam hortatur p. 2. cap. 16. 87
- Iustos ad palmam celeriter currere docet p. 1.
cap. 4. 15
- Iustorū & Impiorū discrimē ostēdit p. 3. c. 16. 143

M

- Ad **M**agistrū vite spiritalis querēdum
hortatur Iesus Christus p. 3. ca.
15 Ad

I N D E X

Ad Magnanimitatem hortatur. p. 2. c. 20 96
Ad Mansuetudinem hortatur. p. 2. cap. 12 78
Ad Misericordia officia hortatur. p. 3. cap. 10.
 129

Mortem Iusti describit. p. 3. cap. 17. 146

Mortem peccatoris describit p. 3 cap. 18 149

Ad Mortificationem sensuum hortatur. p. 1.
cap. 20 43

Mortis memoriam monet. p. 1. cap. 21 45

N

N *Atura, & gratia motus diuersos docet*
Iesus Christus. p. 3. cap. 13 136

Negotiorum multitudinem dissuadet p. 1. cap.
 12 29

Negotiosos homines admonet. p. 4. cap. 10 193

O

O *Bedentiam hortatur iesus Christus*
p. 2. cap. 8 70

Obletamenta varia respuenda docet. p. 1. cap.
 15. 34

Obluioni omnia tradere docet, ut sola Dei
memoria remaneat p. 4. cap. 1. 169

Oculos mentis, initio cursus, in aternitatem es-
se dirigendos, docet. p. 1. cap. 8. 22

Ad Orationem hortatur. p. 2. cap. 21. 98

P

P *Acem cordis quarendam hortatur Ie-*
sus Christus. p. 3. cap. 21. 156

Parcum vita presentis usum monet. p. 1. cap.
 11. 28

Ad Pa-

I N D E X

<i>Ad Parentum, & consanguineorum odium hortatur.</i>	<i>p. 1. cap. 19.</i>	41
<i>Passionis suae imitationem suadet</i>	<i>p. 1. cap. 10</i>	26
<i>Ad Patientiam hortatur.</i>	<i>p. 2. cap. 13.</i>	80
<i>Patientiam interna desolationis monet.</i>	<i>p. 3. cap. 12.</i>	134
<i>Ad Paupertatem hortatur.</i>	<i>p. 2. cap. 10.</i>	73
<i>Peccati fugam monet</i>	<i>p. 1. cap. 23.</i>	48
<i>Peccato seruire, triste esse ostendit.</i>	<i>p. 4. cap. 16.</i>	208
<i>Ad Perseuerantiam hortatur.</i>	<i>p. 2. cap. 22.</i>	101
<i>Ad penitentiam hortatur</i>	<i>p. 2. cap. 6</i>	66
<i>Ad Penitentiae sacramenti usum hortatur.</i>	<i>p. 3. cap. 8.</i>	124
<i>Pradicatores monet.</i>	<i>p. 4. cap. 20</i>	219

R

R <i>Ecursum ad Deum contra inconstantiam monet Christus Iesus.</i>	<i>p. 3. cap. 7.</i>	121
<i>Ad Redemptionis aestimationem hortatur.</i>	<i>p. 4. cap. 14.</i>	205
<i>Ad Resignationem in Dei beneplacitum hortatur.</i>	<i>p. 3. cap. 4.</i>	114

S

S <i>aluari paucos, plurimosq; damnari ostendit Iesus Christus.</i>	<i>p. 4. cap. 17.</i>	211
<i>Ad Salutem omnes homines vocat.</i>	<i>p. 1. ca. 1</i>	10
<i>Sapientiam veram in vite puritate, & virtutum cultu consistere docet.</i>	<i>p. 2. cap. 1.</i>	54
		Sciendi

I N D E X

<i>Sciendi curiositatem fugiendam monet.</i>	p. 1. cap. 13. 31
<i>Scriptura sacra studium, & amorem monet.</i>	p. 3. cap. 14. 139
<i>Servire Deo suaue esse ostendit.</i>	p. 4. ca. 15. 206
<i>Ad Silentium hortatur.</i>	p. 2. cap. 17. 89
<i>Solatia mundi non quarere hortatur.</i>	p. 1. cap. 2. 12
<i>Sollicitudinem in aeterna salutis opere monet.</i>	p. 1. capit. 3. 13
<i>Ad Solitudinem amandam hortatur.</i>	p. 3. capit. 6. 119
<i>Ad spem hortatur.</i>	p. 2. cap. 4. 59

T

<i>Tentatos instruit.</i>	p. 4. cap. 12. 198
---------------------------	--------------------


V

<i>Ad Verbum Dei audiendum monet Iesus</i>	Christus p. 4 cap. 21. 222
<i>Ad verbum Dei aure cordis percipiendum</i>	hortatur. p. 1. capit. 7. 20
<i>Ad Virtutum custodiam, & augmentum hor-</i>	tatur. p. 2. cap. 23. 104
<i>Vitam omnibus quantumvis peccantibus of-</i>	fert. p. 1. capit. 5. 17
<i>Vitam hanc docet esse Iustorum exilium.</i>	p. 3. cap. 24. 163

Z

<i>Ad Zelum animarum hortatur.</i>	p. 4. cap. 19. 216
<i>Ad calcem operis fol. 249. ex:at Epistola Aucto-</i>	
<i>ris, Pacifico Regi cordium Iesu Christo.</i>	

F I N I S.



Jun



~~S. C. G. S. S. S. S. S.~~

~~Carmen Christi Sal~~


~~us Sicut~~

~~Sicut~~

~~in~~

~~Sicut~~

S. O. S. Sicut







Th

2763